


ELEMENTA
MEDICINAE PRACTICAE

TOMUS QUARTUS.



FRANCISCI BENE,

MED. DOCT. CONSILIARII REGII, PROFESSORIS P. O.
THERAPIAE SPECIALIS AC PRAXIS MEDICAE ET SENIORIS FACULTATIS
MEDICAE IN REGIA SCIENTIAROM UNIVERSITATE HUNGARICA

ELEMENTA

MEDICINAE PRACTICAE

E

PRAELECTIONIBUS ILLIUS PUBLICIS EDITA

PER

FRANCISCUM BENE jun.

MED. DOCT.

TOMUS QUARTUS

CONTINENS

DOCTRINAM DE CACHEXIIS.

PESTIN L. 1834.

SUMPTIBUS CONR. ADOLPHI HARTLEBEN.

Typis Trattner-Károlyianis.

C O N S P E C T U S
CONTENTORUM TOMI QUARTI.

Classis quinta morborum.

Cachexiae.

De cachexiis in genere	Pug.
	4

O r d o. I.

Cachexiae cum praedominante statu abnor-
mi organorum reproductionis.

1. Syphilis	2
a) Blennorrhagia syphilitica	8
b) Phimosis et Paraphimosis	24
c) Orchitis et Epididymitis	28
d) Bubo syphiliticus	32
e) Ulcus syphiliticum	38
f) Condylomata, Exerescentiae et Maculae syphiliticae	46
g) Morbus syphiliticus universalis	49
2. Scrofulae	83
3. Struma	103
4. Rhachitis	113

O r d o II.

Cachexiae cum praedominante statu abnor- mi sanguinis et liquidorum secretorum.

1. Scorbatus	126
2. Chlorosis	136
3. Cyanosis	144
4. Cacochymia mucosa	148
5. Helminthiasis	152
6. Hydrops	176
a) Hydrops cutaneus	—
b) Hydrocephalus	181
c) Hydrocephalus internus chronicus	192
d) Hydrorrhachia	197
e) Hydrothorax	203
f) Ascites	215
7. Pneumatosis	226

O r d o III.

Cachexiae cum emaciacione

1. Tabes	238
2. Atrophia infantum	250
3. Marasmus senilis	258
4. Phthisis pulmonalis	262
5. Phthisis laryngea et trachealis	299





CLASSIS QUINTA MORBORUM.

C A C H E X I A E.

§. 1.

Secundum etymologiam vocis *cachexia* significat habitum malum, referunturque ad hanc classem morbi, qui se manifestant colore cutis pallido, subinde cinerescente, laxitate et flacciditate majori cutis et muscularum, cum emaciatione corporis, et duratione in longum extensa, per quos characteres in genere distinguuntur a febribus, inflammationibus topicis, efflorescentiis cutis, profluviis, retentionibus et neurosibus.

Optime distribuuntur *cachexiae* post Raimann in tres ordines, et quidem:

Primum ordinem constitunnt *cachexiae*, quae se manifestant symptomatis diversis in uno systemate organismi, et quidem jam in systemate cutaneo, uti est *syphilis*, jam in systemate vasorum lymphaticorum, uti sunt *scrofulae* et *struma*, jam in systemate osseo, uti est *rheumatitis*.

Ordo secundus complectitur illas *cachexias*, in quibus status abnormis maxime conspicuus est in liquidis corporis humani, et quidem vel in sanguine, tales sunt: *scorbutus*, *chlorosis* et *cyanosis*; vel in liquidis secretis, tales sunt: *cachexia mucosa*, et cum hac frequenter nexa *helminthiasis*, *hydrops*, et *pneumatosis*.

Ad tertium ordinem referuntur *cachexiae*, quarum praecipuum symptoma est emaciatio corporis, dicunturque in genere *marcores*, sunt duplices alii sine sup-

puratione, tales sunt: tabes nervosa, atrophia infantum, et marasmus senilis; alii sunt cum suppuratione et vocantur phthises, inter quas maxime memorabilis est phthisis pulmonalis.

CACHEXIAE CUM PRAEDOMINANTE STATU ABNORMI
ORGANORUM DIVERSORUM REPRODUCTIONIS.

S Y P H I L I S.

§. 2.

Syphilis seu morbus venereus est ille morbus peculiaris, qui excitatur per contagium specificum syphiliticum, et se manifestat sub exordio per inflammationem topicam, secretionem morbosam, excrescentiam, exulcerationem, quibus jam breviori, jam longiori tempore praegressis evolvuntur in reliquo organismo status morbosi diversi, frequentissime in cuti maculae, tubercula, ulceræ, dein ulcera in faucibus late serpentia, tandem sequitur inflamatio specifica chronica in membranis fibrosis, in primis in periosteo, unde etiam ossa afficiuntur, et ita dolores osteo-copi vehementissimi, tumores, ac tandem caries ossium inducuntur.

Morbus hic latissime per orbem disseminatus est, non raro jam in neonatis infantibus ob vitia parentum et nutrictum evolvitur, frequentissime tamen hominem in flore aetatis suae afflit, exercitium functionum sexualium gravissimum reddit acerbum, corpus multum defoedat, cura neglecta vel perversa adhibita organismum universum corrumpt, et postquam aegrum per plures annos excruciat, misere enecat; tantum per therapiam rationalem mature adhibitam morbus sub formis diversissimis feliciter sanatur, ad quod obtinendum oportet naturam morbi ex observationibus etiam aliorum cognoscere.

- A. Luisinus, *Aphrodisiacus sive de lue venerea*, editionem curavit H. Boerhaave. Lugd. Batav. 1728.
- J. Astruc, *de morbis venereis libri IX.* Parisiis. 1730.
— Abhandlung über Venuskrankheiten, Frankfurt u. Leipzig. 1764.
- H. Boerhaave, *Tractatio medico-practica de lue venerea.* Lugd. Batav. 1751.
- P. Fabre, *Traité des maladies vénériennes.* Paris. 1758, 1782.
— Vollständige Abhandlung von der Erkenniss und Cur der venörischen Krankheit, mit Anmerkungen von J. C. Tode. Kopenhagen. 1777.
- J. J. Plenck, *Doctrina de morbis venereis.* Viennae. 1779.
- D. Cirillo, *Osservazioni pratiche intorno alla lue venerea.* Napoli. 1783.
— praktische Bemerkungen über die venerischen Krankheiten. Leipzig. 1790.
- J. Hunter, *Treatise on the venereal disease.* London. 1786, 1816.
— Abhandlung über die venerische Krankheit. Leipzig. 1787.
- C. Girtanner, Abhandlung über die venerischen Krankheiten. Göttingen. 1788. Vierte Auflage von Cappel. Göttingen, 1802.
- S. Hahnemann, *Unterricht für Wundärzte über die venerischen Krankheiten.* Leipzig. 1789.
- J. F. Fritze, *Handbuch über die venerischen Krankheiten.* Berlin. 1790.
- G. B. Monteggia, *Annotazioni pratiche sopra i mali venerei.* Milano. 1793.
— Praktische Bemerkungen über die venerische Krankheit, mit Zusätzen von Eyerel. Wien, 1798.
- B. Bell, *Treatise on gonorrhœa virulenta and lues venerea.* London. 1793.
— Abhandlung über den bösartigen Tripper und die venerische Krankheit. Leipzig. 1794.
- K. F. Clossius, über die Lustseuche. Tübingen. 1799.
- A. F. Hecker, deutliche Anweisung die venerischen Krankheiten genau zu erkennen und richtig zu behandeln. Erfurt. 1801.
- F. H. Martens, *Icones symptomatum venerei morbi.* Lipsiae. 1804.
— Handbuch zur Kenntniss und Kur der venerischen Krankheiten. Leipzig. 1805.

- J. Capuron, *Aphrodisiographie, ou tableau de la maladie vénérienne.* Paris. 1807.
- F. Schwedauer, *Traité complet sur les symptômes, les effets, la nature et le traitement des maladies syphilitiques.* Paris. 1798. Ed. IV. 1817.
- *Von der Lustseuche, mit Anmerkungen von K. Sprengel.* Berlin. 1799.
- J. A. Schmidt, *Vorlesungen über die syphilitische Krankheit.* Wien. 1812.
- J. Louvrier, *nosographisch-therapeutische Darstellung syphilitischer Krankheitsformen.* Wien. 1809, 1819.
- F. A. Walch, *Darstellung des Ursprungs, der Erkenntniss, Heilung und Vorbanung der venerischen Krankheiten.* Jena. 1811.
- J. C. Wendt, *die Lustseuche in allen ihren Richtungen, und in allen ihren Gestalten.* Breslau. 1816. 3te Aufl. 1825.
- R. Carmichael, *an essay on venereal diseases, and the uses and abuses of mercury in their treatment.* London. 1825.
- V. A. Huber, *Bemerkungen über die Geschichte und die Behandlung der venerischen Krankheiten.* Stuttgart u. Tübingen. 1825.
- A. J. L. Jourdan, *Traité complet des maladies vénériennes.* Paris. 1826.
- M. N. Devergie, *Clinique de la maladie syphilitique, avec un Atlas colorié.* Paris. 1826—1833.
- L. V. Lagneau, *Traité pratique des maladies syphilitiques,* 6me Ed. Paris. 1828.
- J. Bacot, *a treatise on syphilis.* London. 1820.
- G. F. Handschuch, *die syphilitischen Krankheitsformen und ihre Heilung, mit steter Rücksicht auf die Beobachtungen und Erfahrungen der neuesten Zeit dargestellt.* München. 1831.

§. 3.

Non obstantibus conatibus tantis medicorum dubia hanc
paucia remanent in doctrina de syphilide, auctores nequidem
consentient de origine morbi. Multi cum Astruc,
Boerhaave, Swieten, Girtanner etc. defendant,
morbum fatalem per Columbum anno 1493, 13ta Martii ex
America in Europam suis translatum, et per exercitum

Hispanicum pro liberanda Neapoli: ab obsidione exercitus Gallici fuisse in Italiā propagatum, per exercitūm dein Gallicum in patriam revertentem late disseminatum, ideo vocatur etiam *morbis Neapolitanus*, ab aliis *Gallicus*. Disquisitiones tamen historico-criticae opinionem hanc refutant, et magis probabilem reddunt, morbum syphiliticum generi humano coaevum jam pridem ante Americam detectam in Europa exstisset, saltem ab anno 1494 concurrentibus momentis pluribus, tunc maxime extensum fuisse.

Causa ejus excitans est contagium specificum; licet etiam hujus existentia a nonnullis in dubium vocatur, cum observationes docent, per polyandriam et per sodomitiam in genitalibus provocari morbos topicis syphiliticis maxime analogos; hoc non obstante morbus syphilitiens universalis secundum observationes hucusque institutas nunquam exoritur, nisi post actionem contagii specifici.

A. R. Sanchez, *Diss. sur l'origine de la maladie vénérienne*. Paris. 1752.

— *Examen historique sur l'apparition de la maladie vénérienne en Europe*. Lisbonne. 1774.

P. G. Hensler, *Geschichte der Lustseuche, die zu Ende des fünfzehnten Jahrhunderts in Europa ausbrach*. Aiton. 1783. 1780.

W. Turnbull, *An inquiry into the origin and antiquity of the Iues venerea*. London. 1786.

C. G. Gruner, *Aphrodisiacus seu de Iue venerea*. Jena. 1789.

— *De morbo Gallico, scriptores medici et historicj, partim inediti, partim rari et notationibus aucti*. Jena. 1793.

S. N. H. Linguet, *Histoire politique et philosophique du mal de Naples*. Paris. 1796.

S. Zeller, *Abhandlung über die ersten Erscheinungen venerischer Localkrankheitsformen, und deren Behandlung*. Wien. 1810.

N. Barbantini, *Notizie istoriche concernenti il contagio venereo*. Lucca. 1820.

D. Thiene, *Lettere sulla storia de' mali venerei*. Venezia. 1823.

F. A. Simon jun., Versuch einer kritischen Geschichte der verschiedenartigen, besonders unreinen Behaftungen der Geschlechtstheile und ihrer Umgegend, oder der örtlichen Lustübel seit der ältesten bis auf die neueste Zeit, und ihres Verhältnisses zu der Ende des 15. Jahrhunderts erschienenen Lustseuche. Hamburg. 1831.

§. 4.

Contagium syphiliticum constituens materiam subtilem imponderabilem, per instrumenta physica et reagentia chemica haud determinandam, tantum ex effectu quem in organismo vivo exerit, cognoscendam, generatur in ipso organismo humano per morbum specificum nempe syphiliticum, constituantque vehiculum ejus frequentissime pus in ulceribus syphiliticis contentum, subinde crusta ulcera obtegens, subinde squamae in maculis syphiliticis conspicuae, subinde materia puriformis per inflammationem specificam membranae mucosae secreta, in casibus rarissimis videtur et materia perspirabilis cutis, et halitus oris contagium hoc continere. Secundum observationes antiquorum contagium hoc olim fuit volatile, nam ad distantiam etiam majorem ope atmosphaerae infectionem locum habuisse referunt; hodie tamen charactere hoc volatili destitutur contagium, estque ita fixum, ut ad illud suscipiendum contactus immediatus requiratur, qui vario modo locum habet; dum ulcera syphilitica cavum oris obsident, communicatur contagium subinde per oscula magis fervida, per sanguibula, poecula, docente Gruner per calicem communem; subinde infans ulcera syphilitica in ore habens inficit nutricem sanam, frequentius nutrix syphilitica inficit infantem, quem lactat; matres syphilide infectas subinde jam foetui in utero communicating morbum, longe frequentius sub ipso partu, dum infans per vaginam infectam transit cutis ejus tenerrima suscipit contagium; subinde communicatum fuit contagium per instrumenta chirurgica, per lanceolam pure syphilitico infectam et non mundatam; testante Hunter Londini communicatum fuit contagium per

dentem homini syphilitico evulsum et alteri sano impositum; subinde testante Cullerier per gustum depravatum Parisiis communicatum fuit contagium ano, in aliis auriculae; subinde suscipitur contagium per digitum laesum et epidermide tenui tectum, quod accidit obstetricibus, obstetricatoribus, chirurgis, imo et anatomicis, nam contagium syphiliticum retinet aliquo tempore etiam in cadavero vini inficiendi; in casibus rarissimis communicatum fuit contagium per vestimenta et per latrinas. Sed longe frequentissime suscipitur contagium per genitalia, et quidem occasionem maxime faventem constituit coitus, sub quo contactus satis diu durat, turgor partium, incalescentia et frictio accedunt.

Neque tamen contagium solum sufficit ad morbi genesis, requiritur ad eam etiam dispositio; pro infortunio quidem homines plurimi aetatis omnis habent hanc dispositionem; valde pauci sunt ita felices, ut quotiescumque se exponunt occasione contagium suscipiendi, a morbo liberi maneant, nec per morbum toleratum dispositio deletur, sed saepe potius exaltatur; est dispositio haec in diversis hominibus varie modificata, et inde dependent diversae formae morborum syphiliticorum; testantibus enim pluribus observatoribus, e viris pluribus cum eadem muliere coeuntibus unus blennorrhagiam urethralem, alter ulcera syphilitica, tertius bubones contraxit, dum quartus sanus mansit. Dispositione tali praesente post susceptionem contagii evolvuntur variii morbi topici, quibus breviori vel longiori tempore praegrossis et haud subfatis comparet lues syphilitica, cuius evolutio per curam rationalem morborum topicorum optime impeditur; ideo cognitio exacta eorum summe necessaria est.

BLENNORRHAGIA SYPHILITICA.

§. 5.

Morbus hic vocabatur olim *gonorrhœa*, quia existimabant semen profluere, ut autem distinguerent a profluvio seminis sani, vocabatur *gonorrhœa virulentu*, J. P. Frank describit nomine *medorrhœae urethralis*; *S wedia uer nomine blennorrhagiae urethralis*, A. Schmidt nomine *urethritidis*, Alibert nomine *blennurethriae*. Character morbi essentialis est profluvium materiae puriformis e membrana mucosa penis in viris, vaginae in mulieribus, quae producitur per inflammationem specificam. Nec tamen profluvium omne mucosum vel puriforme e peni aut vagina blennorrhagia syphilitica dici potest; nam excitatur simile profluvium per diversas causas, membranam mucosam genitalium irritare valentes, ita subinde per catheterem, cereolum, lapillos in urethram intrusos, per irritamenta chemica, ut injectiones acres causticas, in urethram vel vaginam factas, subinde per ingesta varia, ut diuretica aceria, terebinthinam, balsama, cantharides, per vinum et cerevisiam nondum satis fermentata, subinde excitatur per morbos alios partim symptomatico, partim metastatico, ut per calculos urinarios, vermes intestinales, nonnunquam in genitalia penetrantes, per scrofulas, rheumatismum, arthritidem, herpetem, haemorrhoides. Ideo ad evitandum errorem in diagnosis investigationem instituimus relate ad causas enumeratas possibles. Dum aeger historiam morbi sincere refert, attentioque debita iu symptomata adhibetur, diagnosis satis clara est; in genere blennorrhagia genitalium per irritamenta mechanica aut chemica excitata symptomatibus stipatur nitioribus, breviori tempore durat, facilius curatur, curam anti-syphiliticam haud requirit. Frequentissima causa excitans blennorrhagiae est coitus; nec talis semper characterem syphiliticum habet, post coitum fervidum, frequentem, in primis vagina relative angustiori exi-

stente, per solam irritationem majorem provocatur profluviū, ut observatur in neogamis; ita etiam accidit, si coitus celebretur cum muliere tempore fluxus catamenialis, lochialis, vel fluoris albi insontis, ideo antiquissimus Legislator tempore tali mulierem contingere prohibuit, donec non evaderet munda, balneo praevie adhibito. Blennorrhagia syphilitica excitatur in viro per coitum cum muliere, in cuius genitalibus adest aut blennorrhagia syphilitica, aut uleus syphiliticum et tunc pro diversitate dispositionis individualis aegri evolvitur blennorrhagia duplicitis indolis; subinde nempe post talem blennorrhagiam subsequitur syphilis universalis, atque secundum auctores nonnullos tantum in hoc casu vocatur *blennorrhagia syphilitica*; longe frequentius blennorrhagia manifestat indolem tamē, ut ex illa non evolvatur lues syphilitica, indolem tamen habeat contagiosam, nam per contactum in alio iterum excitat similem blennorrhagiam, dicitur hoc *contagium blennorrhagicum*. Multi cum C. Tode et J. P. Frank defendant, ex blennorrhagia nunquam evoluti luem syphiliticam, quod tameū minime defendere valemus, nam observatores omni fide digni J. Hunter, Schwediauer, Cullerier, Lagneau observationes aliquas, licet paucas adferunt, ubi post solam blennorrhagiam symptomata luis syphiliticae comparuerunt. Differentiam hanc morbi cognoscimus, attentionem dirigendo in decursum morbi, qui variat pro diversitate sexus ita, ut in genere in sexu muliebri mitior sit quam in virili.

H. Allen, Diss. de fluoris albi charactere et notis, quibus cum gonorrhœa convenit vel differt, et utriusque curatione. Lugd. Batav. 1751.

J. C. Tode, vom Tripper, seiner Natur und Geschichte. Kopenhagen. 1774.

J. Andree, an essay on the theory and cure of the venereal . gonorrhœa. London. 1777.

— Abhandlung über den venerischen Tripper. Leipzig. 1781.

J. A. Murray, de materia arthritica ad verenda aberrante, Göttingae. 1785.

- M. Sallaba, über den venerischen Tripper. Wien. 1794.
- J. H. G. Schlegel, Versuch einer Geschichte des Streites, über die Identität des Venus- und Tripper-giftes. Jen a. 1796.
- A. F. Hecker, deutliche Anweisung die verschiedenen Arten des Trippers genau zu erkennen, und richtig zu behandeln. Erfurt. 1802.
- J. B. B. Larrieu, Essai sur la gonorrhée vénérienne et sur quelques suites, qu'entraîne le mauvais traitement de cette maladie. Paris. 1807.
- G. W. Töppelmann, neue Erfahrungen über zweckmässige Behandlung venerischer Schleimausflüsse, und der ihnen nachfolgenden Übel. Leipzig. 1809.
- Eisenmann, der Tripper in allen seinen Formen, und in allen seinen Folgen. Erlangen. 1830.

§. 6.

Blennorrhagia virorum rarissime se manifestat primis 24 horis post coitum celebratum, frequentissime inter tertium, septimum usque decimum quartum diem, raro tardius comparet; subinde restringitur morbus tantum ad membranam mucosam, quae obvestit glandem et superficiem internam praeputii, vocatur tunc blennorrhagia balani vel balanitis; subinde in tota superficie externa glandis conspicitur affectio morbosa, frequentius tamen residet ea retro coronam glandis, ubi glandulae sebaceae copiosae sunt; non raro pars affecta, praeputium et glans tumet, rubet, denudatio glandis est impedita, aeger persistit dolores; mox contingit secretio liquidi albi, puriformis, subinde cinerescentis vel flavo-virescentis ac peculiari odore instructi; estque species hæc blennorrhagiae uitissima, quam faciliter acquirunt phimosi congenita laborantes, evitant circumcisio, sed urethritidi etiam hi obnoxii sunt.

§. 7.

Longe frequentius occurrit blennorrhagia in urethra, et quidem contagium susceptum maxime exerit efficaciam suam in fossa naviculari; in hac sub stadio inflammatorio

aeger persentit dolorem acutissimum, et tactu distinguitur haec regio tumidior ac durior: ideo Wedekind defendit, in fossa naviculari existere glandulas specificas, blennorrhicas, per quas liquidum specificum, contagii vehiculum secernitur; quod tubercula tactu distinguenda constituant criterium blennorrhagiae syphiliticae, quod tamen ab aliis observatoribus nendum probatum est, nec raro status morbosus extenditur per majorem partem urethrae. Sub decursu morbi distingui possunt tria stadia, scilicet stadium invasionis, inflammationis et relaxationis.

Contagium in urethram delatum non provocat statim symptomata morbosa, sed latet, duratque hoc stadium incubationis per dies quatuor, septem, usque quatuordecim, tunc subinde sentit aeger tensiones insolitas in peni et scroto, erectiones frequentiores, titillationem in urethra sub lotii evacuatione, paulo post nisum frequentiorem urinam evacuandi, stimulum Veneris majorem, labia urethrae aliquantum tument, rubent et mucus tenuissimus linteamina insiciens parva quantitate effunditur, duratque hoc stadium invasionis, evolutionis, seu irritationis morbi pro diversitate dispositionis phlogisticae majoris vel minoris et pro diversitate influxum phlogosim excitare valentium subinde tantum per tres, quatuor, saepe per septem usque quatuordecim dies.

Dein sequitur stadium inflammatorium, sub quo subinde nulla secretio morbosa locum habet, propterea vocant gonorrhoeam vel blennorrhagiam siccam, minime congrue, rectius urethritis syphilitica dicitur, quia tantum per inflammationem intensiorem supprimitur secretio; in genere symptomata sub stadio priori praesentia evadunt intensiora, sensus titillationis transit in sensum ardoris, nisus urinam evacuandi, in primis noctu, sed etiam interdiu est valde frequens, et non nisi parum urinae inter molestias evanescatur, summus est dolor dum incipit urinac fluxus, sub ulteriori fluxu mitigatur, sed iterum acerbus redditur, dum ultimae guttae exprimuntur. Saepe urina tantum guttatum fluit, saepe rivo continuo sed interrupto,

tenui et subinde bifurcato, saepe queritur aeger sub urinæ evacuatione dolorem esse acerbum, acsi per totam longitudinem urethrae oleum fervidum decurreret. Praeter hanc dysuriam et stranguriam tota penis est sensibilior, erectiones involuntariae, saepe diu durantes et dolorificæ (*priapismus*), subinde pollutiones dolorificæ, in primis dum aeger in dorso jacet versus horas matutinas locum habent; saepe labia urethrae evadunt magis tumida ac rubra, et per inflammationem ad corpora cavernosa extensam penis spasmodice contrahitur, atque incurvatur, quæ curvatura sub erectione in primis conspicua frequentius deorsum tenditur et dicitur *chorda vel blennorrhagia chordata*, rarissime observatnr curvatura haec sursum versus directa, ut penis erecta abdomini appressa esset. Nec dolores tantum ad penum restricti sunt, sed extenduntur per partes vicinas, per regionem pubis, perinaeam, femora et abdomen ipsum. Non raro per consensum evacuatio alvi impedita est, et per consensum excitantur symptomata febris jam mitioris, jam intensioris. Dum ita symptomata inflammationis se manifestant in membrana mucosa urethrae, contingit simul secretio morbosa, et liquidum effluit ex urethra, initio tenui, pellucidum, serosum, tardius opacum, jam album, jam flavescent, jam virescens, subinde nigrescens, quod odorem spargit peculiarem, in linteaminibus exsiccatum relinquit maculam, subinde liquido puriformi admiscentur guttae vel striae sanguinis, rarius sanguis effunditur majori quantitate; durat hoc stadium per dies septem usque quatuordecim, subinde tamen diutius excurrit et vehementioribus stipatur symptomatis, si nempe aeger diathesi inflammatoria eminentiori praeditus est, si expositus fuit potentiis nocentibus, inflammationem urethrae augmentibus, calori externo majori, refrigerio, irritationi genitalium psychicae vel physicae per compressionem, motum corporis vehementiorem in curru vel equo, frictionem, coitum, vel per irritamenta chemica, ut sunt fomenta aut injectiones acriæ, cibi copiosi aromatici, potus spirituosi, pharmaca diuretica stimulantia, te-

rebinthina, balsamum copaivae, piper cubeba, post quorum actionem inflammatio membranae mucosae exaltatur, extenditurque in partes vicinas, subinde et remotiores, sicque generantur phimosis, paraphimosis, epididymitis, orchitis, prostatitis, urocystitis, proctitis, subinde etiam enteritis, nephritis et blepharophthalmia periculosissima, atque morbus intensior stadium inflammatorium etiam longius habet, secus diathesi phlogistica eminentiori absente, nec potentius nocentibus concurrentibus stadium hoc post septem usque quatuordecim dies mitigatur, cessat.

Postea comparet stadium decrementi seu relaxationis, ardor dolorque imminuuntur sub urinae evacuatione, quae evadit semper facilior, secretio materiae puriformis albo-opacae, flavescentis vel virescentis est nunc major, successive et haec imminuitur, tantum guttatum stillat, donec post duas tres-ve septimanas, evanidis omnibus morbi symptomatibus etiam hoc stillicidium cessat.

§. 8.

Ita blennorrhagia syphilitica urethralis decursum militem habens per ipsam autoeratiam naturae spatio sex septimanarum tollitur, contagium blennorrhoeicum per processum abnormem et secretionem materiae puriformis in urethra destruitur et eliminatur. Nec tamen omnes ita felices sunt, multorum autoeratia minus energica est, morbus sibi relictus perdurat per menses plures, subinde per annos, nec tamen tunc contagiosus est, tantum profluvium materiae puriformis in majori vel minori quantitate continuat, et tunc vocatur ab antiquis gonorrhœa post huma, a recentioribus blennorrhagia chronicæ vel blennorrhœa, quae non raro est causa morborum gravissimorum, sustentat enim diathesim inflammatoriam, ideo facile evolvitur inflammatio chronicæ, quae frequenter locum habet in ipsa urethra, unde coartationes, pseudorganisationes, carunculae producuntur. Non raro glandula prostata, vesica urinaria corripiuntur inflammatione chronicæ, quae extenditur subinde per ureteres usque

in pelvis renum; talis inflammatio provocat indurationem periculosam, suppurationem adhuc periculosiorem; abscessus enim aperiuntur in diversis partibus, et sic inducuntur ulcera fistulosa in perinaeo, scroto, pube, subinde aperiuntur in intestinum rectum vel in ipsum cavum abdominis. In casibus licet rarissimis post blennorrhagiam syphiliticam neglectam etiam syphilis universalis secuta est; unde patet, blennorrhagiam pertinere ad morbos valde periculosos, nisi therapia rationalis in usum vocata fuerit.

§. 9.

Dum curam suscipimus blennorrhagiae urethralis, connamur diagnosim ejus exactam construere relate ad sedem, intensitatem, complicationem et causas excitantes morbi, bene memores, hunc morbum etiamsi post coitum exortum minime esse semper syphiliticum, et ideo diversa therapia tractandum. Si fuerit blennorrhagia excitata per irritamenta tantum mechanica, tunc per solam quietem et munditiem brevi cessabit; si fuerit excitata per irritamentum chemicum, tunc emollientia externa indicata sunt; si post ingesta in ventriculum, ut vinum hornum, cerevisiam non satis fermentatam, diuretica acriora se manifestavit profluvium, tunc emollientia interne sumta curam perficiunt; si profluvium hoc esset symptomata urolithiasis, scrofularum vel arthritidis, tunc cura morbi protopathici suscep debet.

In casibus tamen longe frequentioribus occurrit blennorrhagia syphilitica; dum ea remediis blandioribus resistit, causa alia excitante nulla detecta, etiamsi aeger minus fateatur, quod nec urgemus, summa cum probabilitate medica concludimus ad naturam morbi syphiliticam, et tunc therapiam instituimus naturae individuali adaequatam. In omni tali blennorrhagia periculum inducitur tantum per inflammationem, ideo indicata est methodus antiphlogistica; evitatio omnium quae genitalia irritent, et sanguinis congestionem in ea producant, ideo dissuademus cibum copiosum animalem, aerem, sale copioso, pi-

pere vel alio aromate conditum, potus calefacientes coſte, in primis spirituorum; commendamus eibum tantum tenem, blandum, pro potu aquam vel decoctum emollientis althaeae, salep, malvae, oryzae, emulsionem cannabis vel amygdalarum dulcium; commendamus quietem corporis et animi; non est quidem necesse, ut aeger continuo jaceat, potest motum corporis moderatum suscipere, tantum abstineat a motu vehementiori, in primis tali per quem genitalia irritantur, ut est vectio celer in strato aspero equitatio, saltus; abstineat ab omni irritatione genitalium, compressione, frictione; congruum est, scrotum suspendere; evitet refrigerium, in primis genitalium, nec tamen ea calore nimio foveat, ideo ne utatur lecto molli, pluma-CEO, sed duriusculo, ne jacent in dorso, sed in alterutro latere ad evitandas erectiones molestas.

Per vitae regimen solum anti-phlogisticum et decocta emollientia sanatur saepe morbus sine alio pharmaco; remedia quae passim commendantur interna, ut roob et decoctum juniperi, terebinthina, balsamum copaivas, balsamum peruvianum, piper cubeba tantum aegris torpidis sunt innocua, et subinde in morbo incipiente diathesi inflammatoria nulla existente morbi evolutionem ulteriore impedivint, sed in longe plurimis casibus inflammationem periculosa provocando nocent; eadem ratione injectiones omnes sub stadio invasionis adhuc magis sub stadio inflammatorio in urethram factae noxiae sunt.

Character tamen urethritidis syphilitiae non est semper ita mitis, ob constitutionem aegri individualem in morbos phlogisticos eminenter pronam, ob influxus potentiarum nocentium inflammatio urethrae exaltatur, produciturque non raro stranguria, ischuria, phimosis, paraphimosis, uretrorrhagia, chorda syphilitica, epididymitis, orchitis, febris valida; in tali casu methodus anti-phlogistica efficacior et subinde efficacissima debet adhiberi; febri inflammatoria praesente evacuatio sanguinis universalis est necessaria; in genere tamen sufficient evacuationes sanguinis topicae, effectu optimo applicamus hirudines qua-

tuor, sex parti inferiori penis, applicatio plurium haud commendanda, ne phimosis molesta inducatur; ideo dum plures hirudines necessariae sunt, eas ad radicem penis, ad regionem perinaeam, inguinalem, vel supra symphysis ossium pubis applicamus, vel cucurbitulas cruentas superficie internae femorum vel perinaeo imponimus. Simul vi-tae regimen anti-phlogisticum strictum observamus, penim aqua tepida ob munditiem quotidie abluiimus.

Accidit non raro, ut symptomata molesta morbi, dolores et spasti per methodum anti-phlogisticam haud mitigen-tur, quia sustentantur per sensibilitatem morbose exalta-tam, tunc commendamus externe fomenta et cataplasma emollientia et emollienti-narcotica, interne decoctum cau-lium dulcamarae, extractum hyoscyami, aconiti, cicutae, in primis opium, quibus non raro utiliter jungitur cam-phora.

Post superatum stadium inflammatorium auctores ce-lebres, ut Hunter, Bell, Cullerier, Lagneau commendant, ut aegro omni exhibeatur hydrargyrum, vel mercurius gummosus Plenkii, vel unguentum hydrargyri cinereum in pilulis, vel mercurius solubilis Hah-ne-manni, vel calomel, ita ut aeger absumat initio quoti-die hydrargyri granum, successive augendum ad grana quin-que, continueturque haec cura per tres septimanas ad evi-tandam iuem syphiliticam. Nec tamen hoc consilium sequi-mur, cum observatores longe plurimi testantur, post bles-norrhagiam syphiliticam solam, iuem nunquam secutam fu-isce, quod etiam observationes hic factae docent; ideo tan-tum dum superato stadio inflammatorio profluviu[m] mate-riae puriformis est valde largum, liquidum evacuatum vi-rescens, cinerescens, ichorosum, cum dolore urente in ure-thra, tunc ob inflammationem chronicam in urethra p[re]a-sentem mercurialia caute adhibita proficia sunt; saepe suf-ficit unguentum hydrargyri cinereum externe peni inunge-re, adjungitur narcoticum, in specie cicuta.

§. 10.

Symptomatibus morbi initigatis aut etiam evanidis therapia semper terminata non est; non raro quin contagium novum susceptum fuerit, revertuntur dolores in urethra cum profluvio materiae puriformis; tunc exquirimus causas irritationis novae; non raro committit aeger errores, genitalia comprimendo vel fricando, motum corporis suscipiendo, potibus spirituosis, cibis acribus, aromaticis organismum excitando, refrigerium admittendo, vel injectiones diversas minus apte adhibendo; atque in tali casu commendamus aegro, ut causas praedictas evitet, irritationemque praesentem per methodum anti-phlogisticam jam mihiorem, jam strictiorem removeat. Subinde irritatio producitur per excrementa in tubo intestinali accumulata, quia aeger alvo obstipa laborat, tunc proficia sunt clysmata, interne purgantia blandiora emollientia, ut saccharum, mel, pulpa prunorum, cassiae, tamarindorum, manna, oleum lini, olivarum, amygdalarum dulcium, his haud sufficientibus oleum ricini et calomela; purgantia salina et drastica evitanda sunt.

Non raro sustentantur symptomata irritationis tantum per sensibilitatem morbose exaltatam, et tunc narcotica manu cauta exhibita ad scopum deducunt.

Saepe nulla causa peculiaris secretionem morbosam in membrana mucosa urethrae sustentans detegi potest, et licet aeger causas nocentes evitet, tamen profluviu[m] molestum chronicum continuat; tunc absente omni inflammatione indicata sunt pharmaca stimulantia roborantiaque, inter quae maxime laudantur terebinthina, balsamum peruvianum, in primis balsamum copaivae, cui auctores nonnulli virtutem specificam tribuunt; efficacia haud minori gaudet balsamum carpathicum. Exhibitentur haec balsamica ad guttas 10, 20 usque 60, cum vitello ovi vel saccharo, bis terve per diem, desuper hauritur decoctum emolliens, vellac tepidum vel emulsio amygdalarum dulcium, atque non raro usu congruo brevi tempore morbus molestus tollitur;

dosi relative majori et diathesi inflammatoria praesente no-
cent balsama, inflammations graves organorum uropoëti-
corum et genitalium provocant. Recentissimis temporibus
multum commendabatur piper cubeba, quod remedium prin-
cipio acri activum in India orientali jam a longiori tem-
pore contra blennorrhagiam urethralem adhibitum, etiam apud
nos contra blennorrhœam chronicam effectum salutarem exerit,
exhibendo drachmam semis usque drachmam unam semis ter
per diem; minime tamen omni aegro et sub omni stadio mor-
bi convenit, nam inflammations graves vere periculosas in-
ducit, frequentius proson blandiora, ut gummiresina myrræ,
gummi-resina olibani a Clossius, radix acori a Horn, cortex cascarillæ a Hecker laudata; saepe omni-
bus palmam præripit ferrum et quidem sulfas ferri artefactus
cum extracto myrræ aquoso. Swediauer maxime lau-
dat decoctum corsicis chinæ cum tinctura cantharidum, de
cujus efficacia haud dubitamus, nec tamen prius nisi blan-
dioribus incassum adhibitis commendamus, eam tinctura can-
tharidum et organa uropoëtica et genitalia potenter extinu-
lat, et subinde etiam gastro-enteritidem excitet. Secundum
observationes in Gallia factas subinde profluvium chronicum
sublatum fuit per tincturam jodinae a guttis decem usque
triginta ter per diem exhibitam in poculo aquae saccharatae;
quia pharmacum hoc subinde effectus venenatos exerit, num-
quam præscribimus nisi aegrum quotidie inspicere valeamus.

In casibus multis pharmaca interna pauca necessaria
sunt contra blennorrhœam chronicam; aër purus siccus,
motus corporis moderatus, victus animalis nutiens, aroma-
te conditus, vinum bonum antiquum saepe plus praestant,
quam pharmaca quaecunque.

Crawford, on the effects of piper cubeba in curing gonorrhœa,
(Edinb. med. and. surg. Journal. 1818.)

Adams, a short account of cubebas, as a remedy for gonorrhœa.
(Edinb. med. and. surg. Journal. 1819. Rust's Magazin für ges.
Heilkunde XV Bd.)

Jeffrey, practical observations on cubebas. London. 1821.

Delpech, mémoire sur l'emploi du piper cubeba dans le traitement de la gonorrhée (Revue médicale, 1822.)

I. Thorn, observations on the treatment of gonorrhœa by a new preparation from the balsam of cobaiba. London. 1827.

§. 11.

Praeter pharmaca interna contra profluviū morbosum saepe proficia sunt etiam externa, quae applicantur ipsi membranae mucosae infirmae. In blenorragia balani studio inflammatorio superato, decocto emolliente haud sufficiente ad secretionem liquidi puriformis, flavescentis, virescentis, saepe largiorem tollendam indicata est solutio acetatis plumbi crystallisati vel sulfatis zinci, vel sulfatis aluminae, proportione tali ut granum unum vel duo solvantur in uncia una aquae communis, et instar fomenti adhibeantur externè ad glandem, ter quater-ve per diem; dum morbus pertinacior his resistit, adhibemus fortiora: lapidis caustici, vel lapidis infernalis, vel muriatis hydrargyri corrosivi granum unum usque sex solvimus in decocti foliorum malvae vel herbas cicutæ libra una.

In blenorragia urethrali sub studio irritationis et inflammationis injectiones nullae sunt instituendæ; sed in blenorhoea posthuma caute adhibitae curam accelerant; adhibemus vel aquam calcis, vel acetatem plumbi crystallisatum, vel sulfatrem zinci, cupri, ferri vel aluminae, proportione tali ut granum unum, duo solvantur in aquæ simplicis uncia una; his haud sufficientibus recurrimus ad solutiones muriatis hydrargyri corrosivi, kali caustici, vel nitratis argenti fusi, in proportione granum semis ad unciam unam aquæ, instituiturque injectio quotidie ter quater-ve; sed meminisse oportet, injectiones tales, nisi caute instituantur, inflammationem valde molestam inducere posse; ideo nisi convicti sumus de cautela necessaria per aegrum adhibenda, injectiones potius dissuademus, et profluviū tantum per pharmaca interna et per vitæ regimen congruum tollimus. Subinde sustentatur profluviū per statam hypererethisticum cum debilitate nexum, tunc lotiones cum vino, cum spiritu

vini aqua dilato, cum solutione aluminis, cum decocto corylicum querens vel salicis indicantur. Subinde profuit subdiaeta tenui et praemisso clysmate ex aqua calida vesperi injectum clyisma ex aquae calidae et balsami copaivae anauncia semis, retentum per noctem et mane excretum; per talia clysmata tribus diebus adhibita morbum sanatum fuisse testatur C. Londe.

Journal universel et hebdomadaire de médecine, 1833. T. XI. p. 29.

§. 12.

In casibus nonnullis nec per curam externam omni cautela adhibitam morbus cessat, tunc inquirimus in causam profluvii chronicæ. Subinde sustentatur profluvium per inflammationem glandulae prostatae, quam cognoscimus e dolore fixo in regione perinaea ad radicem penis, ex impedita excretione alvi et urinae, e tumore, qui digito in intestinum rectum imposito percipitur, ex impedimento ad collum vesicae urinariae per catheterem illuc-usque penetrantem perceptibili; talem inflammationem conamus statim resolvere per remedia anti-phlogistica, saepe strictissima, saepe sufficient hirudines et cataplasma emollientia ad regionem perinaeam applicata; contra inflammationem chronicam interne in primis calomelam cum extracto cicutæ, externe inunctio nem unguenti hydrargyri cinerei cum extracto cicutæ adhibemus, et sic molestam suppurationem ac indurationem prostatae praecavemus.

Subinde sustentatur blennorrhœa per inflammationem catarrhosam vesicae urinariae, ad quam resolvendam sub exordio indicata est methodus anti-phlogistica strictior, tardius ad secretionem morbosa muci tollendam, quae cum dysuria conjuncta est, medicinam efficacem possidemus in sale ammoniaco, cuius drachmam semis, unam, subinde unciam seinis exhibemus in decocti emollientis libra una.

Dum blennorrhœa remedii hueusque laudatis rebellis est, frequentissime, quod ex symptomatum omnium scrupulosa investigatione cognoscimus, in membrana mucosa urethrae species inflammationis chronicæ locum habet, sub

qua coarctationes et carunculae efformantur, atque tunc cum utilitate inungitur peni unguentum hydrargyri cinereum cum unguento cicutae, cui subinde addimus camphoram, utiliter adhibentur injectiones e decocto cicutae cum causticis, cum mercurio sublimato corrosivo et tintura opii, Heckor laudat maxime cereolos solubiles; effectu adhuc meliori adhibentur cereoli e gummi elasticо confecti diversae crassitieи.

§. 13.

Principia eadem therapeutica observamus in curanda blennorrhagia muliebri; definimus nempe ante omnia, sit-ne prosluvium e vagina forte per irritationem mechanicam, refrigerium, vermes intestinales, scrophulas, arthritidem, urolithiasim, morbum uteri, ut polypum, scirrum vel cancerum inducta, tunc therapia secundum indolem causae specificae est modificanda; frequentius excitatur blennorrhagia per coitum; aegrota etiam haud fatente ex symptomatis suis successively evolutis naturam morbi cum summa probabilitate definimus. Incipit morbus in superficie interna labiorum majorum in labiis minoribus, aegra experitur titillationem majorem sine aliis incommodis, excretio liquidi initio est exigua, sed proportione constitutionis individualis, diathesis phlogisticae et influxus causarum nocentium morbus citius tardiusve increvit, sensus titillationis transit in sensum ardoris et doloris cum nisu frequentiori urinam evacuandi, cum sensu ardoris non in urethra, sed in labiis inflammatis; in casibus rarioribus morbus intensior extenditur per urethram, et tunc excitantur dysuria, stranguria, ischuria; consensualiter extenditur inflammatio in intestinum rectum, et tunc alvi evacuatio est dolorifica; in sensibilioribus, hysterics, aut in iis, quae se causis irritantibus exponunt, extenditur inflammatio in ipsum uterum, tunc dolores saeviunt in abdomine, exoriuntur spasmi, gastro-enteralgia, nausea, vomitatio, vomitus. Stadium hoc inflammationis durat per paucos dies, causis irritantibus haud evitatis etiam per plures septimanas, dein remittunt symptomata molestiora, et locum habet prosluvium materiae puriformis albi, flavescentis,

subindo redditur blennorrhœa chronica per menses excurrentis, et tunc exoriuntur excoriationes, exulcerationes superficiales in vagina, in labiis pudendorum, in superficie femorum, subinde etiam syphilis universalis observata est; magis tamen probabile est, tunc cum blennorrhœa conjunctum fuisse uleus syphiliticum, quod inter rugas vaginae facile reconditur.

Per therapiam rationalem morbus facile removetur, sub stadio invasionis et irritationis sufficit vitae regimen anti-phlogisticum, quies corporis et animi, in primis quies genitalium, ut omnis irritatio et physica et psychica arceatur, mucus secretus ope aquae tepidae, vellactis, vel decocti furfurum vel foliorum malvae per spongiam vel linternam molle removeatur, ubi fieri potest semicupium tepidum adhibetur. Subinde ob diathesim inflammatoriam praesentem, vel ob influxum potentiarum nocentium, ut per injectiones aciores, per pharmaca aciora deglutita, ut sunt terebinthina, balsamum copaivae, piper cubeba inflammatio genitalium evadit gravior, tunc methodus anti-phlogistica strictior est necessaria; hirudines applicantur ad regionem perinæam, pubis, superficiem internam femorum, simul exhibemus decoctum emolliens, vel emulsionem amygdalarum dulcium, vel oleo-gummosam, vel e seminibus cannabis paratam, externe fomenta, cataplasma et clysmata emollientia, alvo obstipa praesente purgantia mitiora anti-phlogistica, sed non salina. In sensilioribus, hystericis dolores et spasti ab inflammatione hand dependentes per anti-phlogistica non mitigantur, narcoticis potius cedunt; ideo tunc decoctum eaulium dulcamarae, extractum hyoscyami, aconiti, cinctæ, aqua lauro-cerasi, opium, externe fomenta et cataplasma emollienti-narcotica indicata sunt.

Dum profluvium materiae puriformis inflammatione omni sublata adhuc longiori tempore durat, tunc pharmaca irritantia, ut terebinthina, balsamum copaivae vel peruvianum, vel piper cubeba utiliter adhibentur, semper tamen attendo in effectus eorum, ne irritatio major provocetur; saepe alia mitiora, ut myrrha, olibanum, radix acori, cor-

tex casearillae, praeparata martis, cortex cinchonae magis proficia sunt.

Subinde remedia interna sola hand sufficient, nisi externa etiam in auxilium vocentur; saepe injectiones ope syringae idoneae ex aqua caleis, solutione sacchari saturni, aluminis, vitrioli albi, vitrioli cupri, lapidis caustici, lapidis inferialis, mercurii sublimati corrosivi addito etiam opio in vaginalm institutac prosluvium molestum sustulerunt, sed nisi cautela necessaria observari possit, potius dissuademus, et tantum lotiones genitalium cum vino albo tepido, vel spiritu vini aqua diluto, vel decocto corticis salicis aut quercus commendamus; vel spongia mollis liquido adstringente impregnata imponatur vaginae mane et vesper et per medium horam relinquatur. Subinde vitae regimen roborans, balnea martialia curam absolvunt.

§. 14.

Therapia rationali haud locum habente exoriuntur diversi status morbosí sub ipso decursu blennorrhagiae et quidem subinde dolores articulorum, simillimi doloribus rheumaticis et arthriticis, ita ut artieuli intumescant, rubeant et intense doleant, quod in primis contingit, dum per quamcunque causam, forte per refrigerium, vel per pharmaca irritantia adhibita, fluxus blennorrhoeicus imminentus est. Ad morbum hunc molestum articularem tollendum febri inflammatoria praedente methodus anti-phlogistica, subinde ipsa sanguinis evacuatio necessaria est, febri absente per methodum blandiorem diaphoreticam, calorem externum moderatum, sambucina, spiritum Mindereri, praeparata antimonii, flores sulfuris, decoctum caulinum dulcamarae, radicis sassaparillae, balneum tepidum, vel balneum vaporis removetur morbus.

Subinde exoritur blepharophthalmia blennorrhagica, quae inflammatio acutissima incipit in conjunctiva palpebrae, haec rito intumescit, rubet, ita ut palpebrae farciminis instar extrosum vertantur; extenditur inflammatio in conjunctivam bulbi cum secretione materiae puriformis acris, et nisi promptum auxilium fertur, oculus citissime destruitur. Obser-

vatur haec ophthalmia subinde in neonatis, dum caput transit per vaginam impuram, similitudinem habet cum ophthalmia aegyptiaca, differt a syphilitica, quae excitatur per luem syphiliticam, ea enim sedem suam habet in membranis bulbi internis, frequentissime in iride. Excitatur haec inflammatio subinde per materiam puriformem contagiosam palpebris applicatam, frequentius tamen metastatica, dum fluxus blennorrhoeicus sub stadio inflammatorio per refrigerium vel aliam causam subito suppressitur. Ad curam perficiendam requiritur methodus anti-phlogistica strictissima, sanguinis evacuatio et universalis, et topica, praeterea ut medicina purgans anti-phlogistica calomelis grana duo omni bihorio, externe ad oculum cataplasmata emollientia, inunctio unguenti mercurialis; phlogosi remittente Dupuytren maxime commendat, ut palpebris diductis ope tubuli vel pennae infletur calomela, vesperi intra palpebras immittatur gutta una, duaeve laudani liquidi Sydenhami, dein nuchae et brachiis imponantur epispastica acria. Morbus hic apud nos rarer est; frequentius evolvuntur sub decursu blennorrhagiae syphiliticae phimosis, paraphimosis, epididymitis, orchitis et bubo inguinalis, quorum naturam nunc examinabimus.

G. Lawrence, a treatise on the venereal diseases of the eye,
London. 1830.

PHIMOSIS ET PARAPHIMOSIS.

§. 45.

Phimosis dicitur ille status morbosus penis, sub quo praeputium in parte sua anteriori ita coarctatum est, ut glans denudari haud possit, est ea subinde congenita, frequentius accidentalis, aetate juvenili ac virili per influxus varios inducta, subinde congenita est completa, ubi orificio urethrae per praeputium coarctatum ita clausum est, ut urinae evacuatio impedita sit, accidentalis est frequentissime in-

completa, evacuationem urinae haud impediens. Exoritur talis phimosis per inflammationem praeputii, quae subinde etiam in glandem extenditur, ideo excitatur subinde per irritationem mechanicam vel chemicam membranae mucosae internam superficiem praeputii obvestientis, longe saepius excitatur per balanitidem vel urethritidem syphiliticam, subinde per ulcera syphilitica in superficie interna praeputii vel in glande sita, cognosciturque morbus praesens facile solo visu; subinde stipatur symptomatibus tantum mitioribus, glans ac praeputium morbose intumescunt, ita ut tumor, rubor, calor et dolor adsint, subinde inflammatio haec est tantum erysipelacea, rubor pallidus, roseus, sed a sero morbose secreto tumor conspicitur insignis, subpellucidus; subinde est inflammatio intensior, phlegmonosa, tunc tumor ruber, purpureus in lividum vergens cum febri intensa incedit et infra praeputium effluit copiosa materia puriformis, saepe acris, foetida et margines praeputii excorians.

§. 16.

Inflammatio mitior nulla pericula habet, successive per solam autocratiam naturae dissipatur, sed intensior non tantum dolore, febri et dysuria molestat, sed transit in suppurationem, infra praeputium efformantur abscessus, et si ulcera fuerint syphilitica illa profundius serpent, non raro glandem perforant; subinde praeputii pars jam minor jam major tumida et indurata manet, et sic detractio praeputii et erectio penis dolorificae redduntur; raro inflammatio neglecta transit in gangraenam et sphacelum, vita quidem aegri remanente, sed parte praeputii, imo et glandis consumta; therapia rationalis in plurimis casibus morbum feliciter sanat.

§. 17.

Phimosis constituit semper morbum inflammatorium, ideo methodus anti-phlogistica intensitati morbi accomodata est indicata; contra morbum mitiorem saepe sufficient vitae regimen anti-phlogisticum, fomenta et cataplasma emol-

lientia, peniluvium emolliens, injectio decocti emollientis intra glandem et praeputium cum cautela debita, ne irritatio major inducatur. Subinde propter inflammationem intensiorum necessaria est sanguinis evacuatio universalis; ita Walther refert casum phimosis unius, ubi venae-sectionem ter, et alterius ubi quater instituere debuit; in casibus longe frequentioribus sufficiunt sanguinis evacuationes topicae, hirundines non ad praeputium inflatum, sed ad reliquam partem penis, ad perinaeum vel internam superficiem femorum; alvam obstipam reseramus medicina mitius purgante vel clysinate emolliente sine sale.

Non raro inflammatione imminuta perdurat phimosis, materia puriformis effluit, tunc injectiones instituuntur caute infra praeputium, vel ex aqua calcis, vel ex solutione sacerchari saturni, aluminis, vitrioli zinci, vel cupri, vel lapidis caustici, vel lapidis infernalis, vel mercurii sublimati corrosivi; dum autem convincimur, infra praeputium recondita esse ulceræ syphilitica, tum externe praeputio inungimus unguentum hydrargyri cinereum, interne vero curam anti-phlogisticam cum mercurio suscipimus.

Symptomatibus inflammationis evanidis, indurationem residuam subinde resolvimus inunctione olei blandi vel butyri, contra indurationem majorem et diu durantem adhibemus unguentum ex axungia porci cum carbonate lixivae vel sodae, vel unguento cicutae cum unguento hydrargyri, cuius virtus exaltatur addito jodio, et simul vapore ad penum derivato. Pars callosa pharmacorum usui rebellis non raro removetur operatione chirurgica.

Dum ob curam neglectam vel perversam symptomata gangraenae et sphaceli evolvuntur, remedia anti-septica, roborantia tam interne quam externe adhibemus, et partem sphacelosam a sana separamus.

§. 18.

Paraphimosis dicitur, ubi praeputium retro glandem ita coarctatum est, ut glans praeputio obtagi haud possit; est semper inflammatio praeputii, non raro et glandis pra-

sens mitior, sine symptomatibus molestis incedit, in morbo intensiori constringitur urethra, circulatio sanguinis impeditur, glans intumescit, intense dolet, urina retinetur, et nisi resolutio locum habet, gangraena et sphacelus sequitur. Excitatur morbus dum phimosis praesente praeputium violenter retrahitur, vel quotiescumque glans aut praeputium per irritationem mechanicam, saepissime per balanitidem, ulcera vel condylomata syphilitica inflammatur.

§. 19.

Morbus mitior et incipiens facile curatur, praeputium in situ suum normalem reducitur; apices pollicum utriusque manus applicantur glandi penis, digitis indicibus ac mediis comprehenditur praeputium, glandem reprimendo praeputium altrahendo reducitur; ut hoc fieri possit, inflammatio in glande praevie imminui debet, applicando fomenta frigida, glaciem contusam ad glandem, nisi metus fuerit profluvium urethras suppressiendi, tunc enim potius fomenta vel cataplasma emollientia adhibemus, ut emulsionem seminum cannabis cum saccharo saturni. Inflammatio intensior requirit methodum anti-phlogisticam strictiorem, hirudinum applicationem et morbo ne tunc remittente, metu gangraenae inducto rugae praeputii maxime constringentes per incisionem solvi debent, superata inflammatione contra ulcera syphilitica forto praesentia methodum antisyphiliticam adhibemus.

P, F. Walther, über die Reduction der Paraphimosis, und über die Behandlung der Phimosis (Gräfe's und Walther's Journal der Chirurgie und Augenheilkunde. Berlin. 1825. Bd. 7. S. 347.)

T, Kirnberger, Historisch-kritische und pathologisch-therapeutische Abhandlung über die Phimosis und Paraphimosis. Mainz. 1831.

ORCHITIS ET EPIDIDYMITIS.

§. 20.

Inflammatio raro parenchyma testiculi, frequentius tunicam ejus vaginalem comprehendens vocatur orchitis, quae excitatur a diversis causis, a refrigerio, a violentia mechanica scroto illata, concussione, compressione, subinde metastatice, dum morbus alter disparet, ut hoc observatum fuit de parotide epidemica; in casibus rarissimis in juvenibus viris robustis castitas nimia accusabatur; longe frequentissima causa excitans est syphilitica, ideo etiam vocatur testiculus venereus, subinde est orchitis symptoma luis syphiliticae; saepius tamen lues syphilitica inveterata adest, et orchitis non constituit symptoma illius, sed per novam causam admissam provocata fuit. Raro excitantur orchitis per ulcus vel per bubonem syphiliticum, nisi aeger laboret diathesi scrofulosa in gradu eminentiori, longe frequentius evolvitur haec inflammatio sub decursu blennorrhagiae urethralis, dum sub stadio inflammatorio per refrigerium vel motum corporis nimium, vel usum spirituosorum, aromaticorum, acrium, per genitallium irritationem, fluxus blennorrhagicus imminuit vel supprimitur; ideo vocatur etiam ab antiquis scriptoribus gonorrhoea in scrotum delapsa. Sub exordio morbi persentit aeger tensionem dolorificam in scroto et testiculo, accedit alteratio febrilis et mox observatur partem unam scroli reddi tumidiorem, fluxum autem blennorrhagicum imminui. Saepe symptomata cito augmenta capiunt, tumor increscit ad magnitudinem ovi gallinacei, scrotum nulla exhibet signa inflammationis, nisi irritamenta varia applicita fuerint; frequentissime restringitur tumor et dolor tantum ad unum testiculum et quidem sinistrum, subinde comprehendit inflammatio etiam epididymidem, et tunc vocatur epididymitis; subinde extenditur inflammatio per funiculum spermaticum, et tunc dolores sunt intensiores, in primis dum testiculus dependet, vel comprimitur, dolores propagantur per

abdomen, regiones inguinales femorales, et perinaeum, alvi urinaeque evacuationes redduntur molestae, inter symptomata sebris experitur aeger nauseam, vomituritionem, vomitum, atque pro intensitate et complicatione inflammatis et constitutione individuali aegri exitus diversos nanciscitur morbus.

§. 21.

Dum orchitis mitior simplexque est, causis excitantibus remotis fluxu blennorrhagiae largiore redditio sanatur per solam autocratiam naturae; sed dum inflammatio ad gradum majorem evecta est, tunc praeter dolores, quibus aegrum divexat, exitus nanciscitur non raro molestos, subinde evolvitur suppuratio, rarius quidem in ipso testiculo, frequentius tantum in tela cellulosa testiculum cingente, et nisi therapia congrua locum habuerit, pus corrumpitur in ichorem, tunc exulceratur scrotum, et enascuntur ulcera plura fistulosa longo tempore durantia, non raro aegrum tabe consumentia; subinde contingit secretio morbosa seri, efformaturque hydrops scrotri vel funiculi spermatici (hydrocele). Rarus est exitus hujus inflammationis in gangraenam et sphacelum, frequentius resolutione haud obtenta induratio locum habet, subinde cum decremento, saepius cum incremento voluminis. Induratio talis subinde nullis incommodis juncta est, tempore sponte per autocratiam naturae resolvitur, vel vita etiam tota portatur, quin hominem ineptum reddat ad exercendum actum generationis, cum in testiculo altero secretio seminis continuat. Nec tamen omnis induratio testiculi ita insonis est, non raro ob dispositionem aegri peculiarem, ob irritamenta varia interna et externa tumor increscit, tuberosus redditur, sacercoele vocatur, facile indolem adipiscitur scirrhosam, et degenerat in canerum, morbum summe dolorificum, testiculos et partes vicinas devastantem, nisi therapia rationalis mature adhibita fuerit.

§. 22.

Cum orchitis frequentissime generatur sub blennorrhagia urethrae, ideo aegrum attentum reddimus ad evitandas causas cunctas, in primis refrigerium et omnem genitalium irritationem; quamprimum in scroto vel minimam tensionem senserit, utatur suspensorio. Morbo evoluto consilium ab auctoribus nonnullis datum, ut cereoli pure blennorrhagico impregnati urethrae imponantur scopo fluxum revocandi, minime commendamus, experimentis pluribus a Cullelier ier institutis edocti, praxim hanc foedam inutilem et non raro noxiā fuisse. Ratione et experientia ducti adhibemus methodum anti-phlogisticam, victum tenuem, pro potu aquam vel decoctum emollientis; motu corporis omni intermisso jaceat aeger tranquillus in lecto moderate calido, hirudines sex, duodecim usque viginti quatuor imponimus regioni perinaeae, femorali internae, in primis regioni inguinali prope ad annulum inguinale; signis inflammationis in scroto nullis praesentibus, secundum Lagnean hirudines ipsi scroto imponi possunt, secus id consultum non est, nam hirudines augent inflammationem topicalam, et haemorrhagia forte excessiva majori cum difficultate sisti potest. Alvum forte obstipam reseramus per elysmata emollientia aut pharmaca blande purgantia. Inflammatione ad gradum majorem enecta cum febri valida, ipsa evacuatio sanguinis universalis necessaria est.

Commendantur contra orchitidem emetica, in nonnullis casibus ut remedia antagonistica forte proficia, nobis tamen methodus anti-phlogistica semper sufficit.

Commendantur etiam externa remedia, et quidem sub exordio phlogosis fomenta frigida, quorum ope orchitidis per violentiam mechanicam provocatae resolutio cito obtinetur; ubi tamen phlogosis exorta est ob fluxum blennorrhagicum in urethra iniminutum, ibi applicatio frigoris contra-indicata est, potius adhibeatur calor siccus ope lintei mollis, vel inflammatione erysipelatosa in scroto existente linteo molli temissime illiniatur camphora. Dum inflam-

matione imminuta tumor ac dolor in testicule vel epididymide perdurant, indicatione haud praesente pro sanguinis evacuatione reiteranda utilissime adhibetur externe unguentum hydrargyri cinereum cum unguento althaeae et cicutae junctum. Dum tumore majori pro parte resoluto aeger tamen conqueritur de doloribus per testiculum, serotum et partes vicinas excurrentibus, in primis dum hoc observamus in viris hypereinesia hypochondriaca praeditis, tunc commendamus narcotica blandissima, externo lotionem cum decocto emolliente, cui addimus cicutam, hyoscyatum, opium, vitae regimine simul roborante in auxilium vocato.

Symptomatibus suppurationis evolutis conamur limites suppurationi ponere et degenerationem puris in ichorem impedire, quem in finem praesente adhuc statu phlogistico methodum anti-phlogisticam continuamus, praesente vero debilitate vitae regimen roborans suademus; externe interdiu cataplasma emolliens seroto imponimus, evitatis causis omnibus irritantibus, et mundicie observata, abscessus sponte aperitur, et licet lente cicatrizatione tamen subsequitur.

Exitus frequentior hujus phlogosis est induratio, saepe quidem testiculus inflamatus etiam symptomatibus phlogosis evanidis major manet, sed nulla incommoda causat, tunc nulla cura suscipi debet, nam tempore volumen illud sponte imminuitur. Non raro tumor durus et major sollicitudinem excitat magnam, tunc initio blandissima, ut axungiam porci, oleum blandum, unguentum althaeae quotidie seroto semel bis-ve inungimus, suspensorio simul haud neglecto. Induratione haud remittente commendamus fomentum tepidum ex solutione salis communis, carbonatis sodae, lixiviae vel salis ammoniaci, vel adhibemus linimenta ex axungia porci, oleo blando vel unguento althaeae, quibus admissemus ad unciam unam camphorae scrupulum semis usque unum vel carbonatis lixiviae aut sodae, drachmam semis usque unam, vel spiritus salis ammoniaci caustici drachmam semis usque unam, attendendo in effectus, ne inflammatio provocetur. Saepe effectus lactiores observamus ab unguento cicutae, cui ad virtutem exaltandam addimus camphoram; si-

milem virtutem exerceat emplastrum hydrargyri cum emplastro cicutaæ ac saponato junctum. Subinde induratio pertinax resoluta fuit per kali hydro-jodicum. Commendatur etiam usus internus jodinae, rarissime necessarius et facile noxius; commendatur balsamum copaivae, in nonnullis casibus proficuum, in genere tamen ut irritans raro adhibendum. Contra indurationem pertinaciorem cum utilitate adhibentur balneum vaporis topicum, semicupia salina, maritima, subinde electricitas et galvanismus. Louvrier commendat curam magnam, quae tamen in casu rarissimo, ubi orchitis symptomata constituit luis syphiliticae, indicata est.

Quaecunque methodus adhibita fuerit, effectus ejus attente observamus, bene memores, indurationem talem glandulosam facile degenerare in scirrum et cancrum, quae degeneratio pharmacis nostris resistit; tantum per amputationem potest impediri ulterior destructio organismi; nec tamen omnis tumor durus, tuberosus in scroto pro scirrho vel cancro declarari debet, saepè enim etiam inveteratus per therapiam rationalem feliciter resolvitur.

BUBO SYPHILITICUS.

§. 23.

Bubo in genere vocatur tumor inflammatorius glandulae lymphaticæ, estque diversæ naturæ, pro diversitate causarum excitantium; non raro bubones cervicales, subaxillares et inguinales symptomata constituunt pestis orientalis; per inflammationes et exulcerationes provocantur similes tumores, ita per inoculationem variolarum vel vaccinae in brachio, per panaritium excitantur bubones subaxillares, per erysipelas cruris, ulcera pedum provocantur bubones inguinales. Longe frequentiores sunt bubones syphilitici, qui subinde comparent in regione cervicali vel subaxillari, dum contagium applicatur ori, subinde situantur in regione subaxillari,

dum contagium suscipitur per papillam mammae vel per digitum sauciatum; frequentissime tamen contagium agit in genitalia, ideo frequentissimi sunt bubones inguinales, qui resident sub tendine musculi obliqui externi, subinde infra ligamentum Poupartii (bubones femorales), subinde supra ligamentum Poupartii (bubones abdominales), rarissime supra symphysis ossium pubis in monte Veneris.

Plouquet, Diss. de bubonibus inguinalibus syphiliticis. Tübingae, 1787.

Crammer, Diss. de bubonibus venereis. Marburgi 1790.

Otto, Diss. de bubonum syphiliticorum resolutione. Francof. ad Viadr. 1802.

Cotton, Diss. sur les bubons syphilitiques ou vénériens. Paris. 1802.

§. 24.

Nec bubo syphiliticus eandem naturam exhibet semper, sed distinguitur:

1mo *Bubo idiopathicus, protopathicus, primarius*, qui inducitur per contagium syphiliticum immediate in glandulas lymphaticas agens, talis multo rarer est, ideo ab auctoribus non paucis denegatur, observatores tamen magni, ut Hunter, Swediauer et Cullerier testantur eum saepius conspexisse.

2do Longe frequentiores sunt *bubones secundarii*, qui post morbum alium syphiliticum praegressum, ut subinde post blennorrhagiam urethralem, saepius post ulcus syphiliticum evolvuntur. Tales iterum duplices distingui debent; subinde ob solam inflammationem intensiorem in urethrite vel in ulcere extenditur irritatio per consensum in glandulas, et efformatur *bubo sympathicus seu consensualis*, qui est simplex inflammatorius, ex quo nunquam exoritur lues syphilitica, sed saepe contagium ex urethra vel ulcere per vasa absorbentia defertur in glandulas lymphaticas et excitatur *bubo vere syphiliticus*.

3^{to} Datur etiam **bubo symptomaticus**, qui produceitur per luem syphiliticam in organismo late extensam; non raro quidem accedit, ut lue syphilitica praesente bubo evolutus non sit symptoma luis, sed morbus superacedens, quod aeger iterum novum contagium susceperebat.

§. 25.

Ad naturam morbi individualem cognoscendam attentionem nostram dirigimus in successivam ejus evolutionem; aeger post coitum suspectum vel post bleorrhagiam aut ulcus syphiliticum citius tardius-ve persentit in regione inguinali alterutra, raro in utraque tensionem dolorificam, dolore increscente observatur tumor, initio parvus, cito auctus usque ad magnitudinem ovi gallinacei, oblongus, ovalis, initio cuti concoller, sub morbi incremento rubet, calet, intense dolet, motum femoris ideo incessum impedit, per consensum provocat febrim jam mitiorem, jam intensiorem, dolores extenduntur per partem majorem femoris et abdominis, atvi urinaeque evacuationes evadunt molestae, non raro turbatur etiam status normalis ventriculi, quod cognoscimus ex nausea, vomiturtione et vomitu. Ex evolutione successiva morbi, investigatione genitalium accidente, eo magis si aeger sincere retulerit causam morbi, diagnosis bubonis syphilitici est facilis, distingueturque a morbis aliis analogis, in regione inguinali occurribus: sic a hernia, quia haec in homine sano post motum corporis vehementiorem, saltum, nixum, vomitum subito enascitur, collacando aegrum in situ horizontali genibus elevatis tumor recens semper reponi, et per tussim iterum provocari potest; a bubonocle seu testiculo in annulo inguinali contento distinguitur, quod tunc in scroto tantum testicularis unus reperiatur, neque in tumore tali contingent mutationes illae, quas bubo syphiliticus subit; a tumoribus scrofulosis subinde regionem inguinalem occupantibus discernitur, quod tales nunquam subito exoriantur, sed symptomatibus morbi scrofulosi in organismo jam diu praesentibus efformentur in re-

gione inguinali tumores plures, qui valde lente increscunt, et post longam tantum moram inflammantur.

§. 26.

Pro diversitate naturae individualis diversos nanciscitur exitus bubo; sympathicus tantum per iasflammationem uterinae vel ulceris syphilitici excitatus frequenter resolvitur, quin symptomata ulla alia in organismo sequantur, sed bubo syphiliticus, idiopathicus vel per contagium ab ulcere aut blenorragia syphilitica excitatus rarissime resolvitur, frequentissime transit in suppurationem effectu desiderato, nam tunc contagium immunatur, ex organismo cum pure eliminatur, et lues syphilitica rarissime evolvitur. Cura rationali adhibita abscessus utplurimum sponte rumpitur, et cicatrisatio non diu protrahitur, sed si aeger fuerit cachecticus vel perverse curatus, tunc bubo constituit morbum valde molestum, doloribus excruciat magnis in tumore voluminoso, pus degenerat in ichorem, ulcera marginibus inaequalibus ac duris praedita redduntur sinuosa, fistulosa, et late serpentina, partem majorem regionis inguinalis destruentia, subinde versus genitalia, abdomen ac femur usque ad ossa extensa ita, ut aeger emaciatus febri hectica consumatur. Non raro bubo remanet induratus, talis raro resolvitur, sed post unum vel plures menses iterum inflammatur et tunc in suppurationem transit molestiore, subinde dispositione favente adipiscitur indolem scirrhosam, et facile degenerat in canerum fatalem. In casibus rarissimis ulcera bubonum neglecta, aut incongrue curata evadunt gangraenescientia, sphacelosa, et aeger inter symptomata febris putridae extinguitur. Per therapiam tamen rationalem exitus morbi funesti in plurimis casibus evitari possunt:

§. 27.

Cum in babone incipiente processus phlogisticus adest, ideo resolutionem ejus admittimus obtinere; auctores quidem nonnulli docent, omnem babonem in suppurationem deducendum esse, ut sic contagium syphiliticum e corpore elimini-

netur, cum tamen observationes non paucae existunt probantes, resolutione bubonis procurata, luem haud subsecutam esse, suppurationem autem saepe taediosam evolutionem huius non semper impedivisse, ideo in omni bubone recenti adhibemus methodum anti-phlogisticae, et quidem dum sub decursu urethritidis syphiliticae, vel ulceris syphilitici inflammatorii tantum per irritationem consensualem provocatur bubo, tunc non raro applicatio fomentorum frigidorum ad regionem inguinalem ulteriorem morbi evolutionem impedit, sed morbo jam in majorem gradum evecto, contagio forte syphilitico in glandulas delato aqua frigida, nix et glacies non sufficiunt, sed methodus anti-phlogistica strictior necessaria est. Inflammatio intensa cum febri valida requirit sanguinis evacuationem universalem; in plurimis casibus sufficit sanguinis evanescens topica per hirundines sex usque duodecim, in aliqua distantia a bubone applicatas; aeger vitae regimen anti-phlogisticum et quietem observet, simul quotidie mane inungat unguentum hydrargyri cinereum, non tamen buboni ipsi, sed parti interiori femoris, ubi rasa lymphatica plurima decurrunt, partim peni, vel superficie externae labii majoris pudendorum lateris illius, in quo bubo residet; estque hoc remedium ut anti-phlogisticum utile, internus usus hydrargyri est inutilis et noxius. Haec methodus simplex saepe bubonem resolvens non semper votis respondet, actione contagii jam in glandulas delata inflammatio specifica, constitutione aegri favente, sub qualunque methodo transit in suppurationem, qui exitus resolutione haud obtenta est maxime favens.

Quamprimum suppurationem inchoantem cognoscimus, curam eo convertimus, ut pus generetur bonum, quare connamur energiam vitae per regimen congruum in statu moderato sustentare; dum status inflammatorius adhuc energeticus perdurat, exhibemus anti-phlogistica mitiora; dum signa debitatis verae se manifestant, recurrimus ad roborantia, saltem blandiora; mercurialia quantuncumque laudata sunt inutilia, in plurimis casibus noxia, per eorum usum redduntur ulcera bubonum chronica et phagedaenica. Externe activitate suffi-

ciente praesente , applicamus cataplasmata emollientia , quibus sensibilitate aegri majori existente addimus narcotica , ut cicutam , hyoscyamum , capita papaveris albi ; cataplasmatum usu congruo impedito adhibemus axungiam , laridum , unguentum althaeae , emplastrum meliloti . Dum suppuratio lentius incedit , ut energia topice magis excitetur , recurrimus ad maturantia , irritantia , cataplasmatibus admiscemus cepam assatam , saponem rasum , vel commendanus emplastrum cicutae cum gummi-resinoso , vel emplastrum gummi-resinosum solum , vel gummi ammoniacum aceto squillitico solutum , vel cataplasmati emollienti addimus farinam seminum sinapis . Bubonis maturi aperturam frequentissime committimus naturae , nam per aperturam artificialeм redditur exulceratio magis diurna , et cicatrix remanet foeda . Subinde tamen bubo jam totus matus ob cutis tenacitatem hand aperitur sponte , tunc ne degeneratio puris in ichorem et absorptio ejus locum habeant , abscessum arte aperimus incisione longitudinali ; raro ubi aeger cultrum horret , abscessus jam diu fluctuat , quin sponte aperiatur , adhibemus lapideum causticum , per cuius contactum energia excitatur in ipso abscessu ad suppurationem citius persiciendam . Apertum abscessum deligamus linteо molli carpto secco , unguento acri nullo adhibito ; tantum ulcus ob debilitatem topicam impurum deligamus linteо carpto , cui tenuissime inungitur terebinthina pura vitello ovi subacta , ulcus abloimus aqua tepida sola vel infuso florum chamonillae vulgaris ; tantum in easu praesentis status cachectici asthenici cicatrisationem impedientis indicata est methodus roborans . Dum margines inaequales , callosi cicatrisationem impediunt , tunc margines contingimus lapide caustico vel lapide infernali , et ulcus impurum deligamus vel aqua calcis vel solutione diluta lapidis caustici vel chloratis calcis . Dum symptomata gangraenae comparent , interne ordinamus corticem cinchonae cum acidis mineralibus , camphoram et vinum generosum , externe fomenta adstringentia , anti-septica , aromatica , in primis solutionem magis concentratum chloratis calcis vel sodae .

Induratio post bubonem inflatumatum residua saepe est benigna per secretionem fibrinae in textum cellulosum inducta, tunc resolutio non raro obtinetur per inunctionem olei olivarum vel amygdalarum vel unguenti althaeae, vel lotionem cum sapone, vel per linimentum volatile, unguentum vel emplastrum cicutae cum unguento vel emplastro hydrargyri, per unguentum kali hydro-jodici, per electricitatem et galvanismum. Sub cura hac semper attentionem dirigimus ad symptomata, quae se manifestant et topice in bubone, et in organismo reliquo, non raro enim in bubone indurato haeret contagium syphiliticum reconditum, tunc resolutio obtineri haud potest, neger experitur in bubone indurato per vicos dolores, valefudo totius organismi lahefactatur, color laetus cutis disparet, saepe maculae, papulae in cuti comparent, in ossibus vel ligamentis percipiuntur dolores, et haec sunt prodroma prima luis syphiliticae, quibus observatis neger de periculo admonendus et methodus anti-syphilitica universalis adhibenda est.

ULCUS SYPHILITICUM.

§. 28.

Ulcus syphiliticum vocatur etiam cancer syphiliticus, distinguiturque ratione originis duplex; nempe primarium, idiopathicum, protopathicum, et secundarium seu symptomaticum; illud exoritur post applicationem contagii syphilitici in diversis partibus corporis, in labiis oris apud infantes, dum mamma nutricis ulcere syphilitico tecta est, apud adultos subinde per oscula, per vasa pro potu et esu adhiberi solita; subinde comparet in mamma nutricis, dum in cavo oris infantis ulcus syphiliticum adest; subinde in marginibus ani; frequentissime tamen conspicitur in partibus genitalibus sexus utriusque, in viris in superficie interna

praeputii, saepe prope ad fraenulum vel in glande, saepe retro coronam ejus, subinde ad orificium urethrae, rarius in superficie externa penis, in dorso vel radice ejus; in sequori occupat superficiem internam labiorum, nymphas, ostium vaginae, rarissime profundius in collo uteri exoritur, subinde in clitoride, ad ostium urethrae muliebris residet. Nec tamen ulcus omne in partibus genitalibus situm syphiliticum est; producitur illud post inflammationem per causam mechanicam, per solam immunditatem, per materiam puriformem sub blennorrhagia excretam, per morbos cutis ad genitalia propagatos excitatam; ideo attentione necessaria est, ne errorem in diagnosi committamus. Nec ulcus omne post coitum exortum syphiliticum est, per solum attritum majorem cuti teneriore ad phlogosim prona existente, in primis si genitalia fuerint immunda, inducitur talis exacerbatio, quae insons sola munditie et lotione cum aqua frigida sanatur.

Ut errore in diagnosi evitemus, attentionem nostram dirigimus in evolutionem et decursum morbi. Raro primis viginti quatuor horis post coitum suspectum efformatur ulcus; subinde contagium susceptum latet per duas, tres usque sex septimanas; in easibus tamen frequentioribus durat hoc stadium incubationis tantum per tres usque sex dies, tunc observatur in parte aliqua genitalium macula parva rubicunda, efformans tuberculum durum, in cuius medio comparet vesicula parva, liquido pellucido crystallino repleta, quae post unum alterum-ve diem rumpitur, et ulcus exascitur initio parvum, quod margines habet inaequales, erosos, duros, callosos, superficiem pure spisso, denso, albo-opaco vel albo griseo obtectam, dicitur superficies lardacea. Ulcus hoc subinde longiori tempore manet immutatum, saepius cito extenditur ulro, subinde versus peripheriam ita, ut ulcus evadat latum, saepius in profundum, ideo fraenulum perforatur, subinde ulceræ in glande penis praesentia penetrant usque in urethram; sunt haec ulceræ indolentia, sed excitant non raro inflammationem in partibus vicinis, ut phimosisim, paraphimosisim, bubones consensnales.

§. 29.

Post ulcera haec primaria neglecta vel perverse curata inducitur in plurimis casibus syphilis universalis, per quam dein producuntur ulcera secundaria seu deuteropathica seu symptomatica; frequentissime efforman- tur in cavo oris, et quidem in isthmo faucium, aeger con- queritur initio de deglutitione difficii, dolorifica, sympto- matibus febrilibus mitioribus praesentibus, conspicitur rubor ac tumor in isthmo faucium haud intensus, character tamen syphiliticus phlogosis statim cognosci non potest; per thera- piam contra isthmitidem congruam febris mitigatur, sed phlogosis non tollitur, perdurat ea per septimanas, interdin mitior, noctu molestior, nec transit in abscessum, ut solet isthmitis simplex haud resoluta, sed citius vel tardius con- spiciuntur ulcera vere syphilitica. In diagnosi ulcerum horum error facilis est, cum in cavo oris exoriuntur ulcera diversae indolis, quae pro syphiliticis habita et methodo anti-sy- philitica tractata aegrum non raro in periculum conjiciant. Exoriuntur in cavo oris subinde ulcera a sola dentitione, vel a dente carioso, haec facile cognoscuntur, sedem frequen- tissime habent in gingivis aut in marginibus linguae, et ca- vo oris rite investigato apparebunt symptomata dentitionis vel dentis cariosi, quo evulso vel dentitione absoluta ulcera haec disparent. Non raro aphthae in cavo oris efforman- tur, quae similitudinem aliquam habent cum ulceribus syphiliticis, per investigationem tamen accuratam semper distingui pos- sunt; nam aphthae consistunt in vesiculis parvis a magni- tudine milii usque seminum cannabis, quas liquore albo re- pletae comparent in lingua, in superficie interna labiorum, ruptae exsiccantur in crustas parvas, molles, infra quas exulceratio superficialis continuat. Occurrunt in cavo oris ulcera scorbutica, quae distinguuntur a syphiliticis, quod praecedat semper affectio scorbutica gingivarum, quae eva- dent tumidae, spongiosae, rubrae; ad pressionem minimam sanguinem fudentes, et in reliquo corpore comparent sym- ptomata scorbuti, languor muscularis, pallor et oedema ex-

tremitatum, purpura scorbutica, haemorrhagiae diversae, ulcera in cavo oris margines molles, spongiosos habent et facile sanguinem fundunt. Non raro producuntur in cavo oris ulcera per excessivum usum hydrargyri, atque haec habent maximam similitudinem cum syphiliticis, a quibus tamen distinguuntur, quod ulcera mercurialia connexa sint cum ptyalismo, habitu oris foetido, quod superficiem quidem habeant albam, lacteam, sed sunt magis superficialia, non ita profunde penetrantia, sunt in genere plura, comparent frequentissimo in gingivis, in superficie interna labiorum oris, in marginibus linguae, in superficie interna buccarum, in primis in regione dentium maxillarium, atque sub usu hydrargyri exasperantur; ulcera vero syphilitica sunt in genere pauca, frequentissime unicum, raro duo vel tria observantur in diversis portibus cavi oris, subinde in labio, gingiva, palato, frequentissime in isthmo faucium, in uvula vel tonsillis, rarius haerent profundius in pharynge, in parte ejus posteriori versus vertebraes colli, subinde ad epiglottidem. Ulcus tale syphiliticum in cavo oris efformatum semper est periculosum, sponte nunquam sanatur, tantum per curam anti-syphiliticam rite adhibitam, qua neglecta ulcus semper ultro serpit, partes vicinas et molles et duras destruit, ita pars linguae et tonsilarum consumitur, palatum molle et durum perforatur, cibi et potus cum summa molestia in cavum narium deferuntur, vox immutatur, ozaena venerea evolvitur, cartilagini nasi, septum narium, ossa narium consumuntur, nasus instar ephippii concidit, increcente morbo carie consumuntur etiam ossa faciei, maxilla superior, subinde ulcera extenduntur in pharyngem, laryngem et vertebraes etiam colli. Sub evolutione luis syphiliticae ulteriori non limitantur ulcera ad cavum faucium, sed comparent etiam in aliis partibus corporis, ut in facie externa, gena, fronte, parte capillata capitis, subinde in truncō, in extremitatibus, et etiam in genitalibus; sunt haec ulcera secundaria in cuti saepè magis lata, quam profunda, et cognoscuntur, quod simul cum aliis symptomatibus luis syphiliticae connexa sint; non raro haec ulcera sedem figunt in partibus internis, e cavo

faucium extenduntur in cavum tympani, in tracheam et bronchia, excitantque phthisim trachealem syphiliticam, in sexu sequiori extenduntur non raro in uerum, et excitant degenerationem ejus carcinomaticam.

§. 30.

Cum ulcera syphilitica tam primaria¹, quam secundaria organismum periculis suminis exponunt, ideo tentata fuerunt etiam remedia prophylactica ad morbi genesim impediendam. Laudata sunt inunctio genitalium ante coitum suspectum oleo, axungia, unguento hydrargyri cinereo, lotiones diversae cum solutione lapidis caustici, vel mercurii sublimati corrosivi, vel alcali cum opio in tinctura Bernardi, quae tamen utilitate destituuntur, nec obvolutio penis intestino tenui agnino a Condon proposita scopo respondet, cum et hoc involucrum sub erectione valida et frictione rumpitur. Ita remedium prophylacticum nullam possidemus, praeter abstinentiam. Morbum tamen quem impedire non valimus, per curam rationalem statim ab exordio susceptam perfecte tollimus; quem in finem definito charactere ulceris syphilitici idiopathici indicatio prima est, ut contagium superficie adhaerens quo oxyus destruatur et resorptio ejus impediatur. Si ulcus fuerit simplex, non complicatum cum urethritide vel cum babone syphilitico, et si in peripheria illius inflammatio exigua vel nulla observata fuerit, tunc statim adhiberi potest causticum, ut oxymel aeruginis, vel aqua calcis, sola tamen raro sufficiens, sed juncta cum mercurio sublimato corrosivo, nomine aquae phagedaenicae, vel liquor mercurialis, vel mercurius praeципitatus ruber, non forma pulveris superficie ulceris inspergendus, ne inflammatio vehemens provocetur, sed potius unguenti terebinthinae vel basilici, vel elemi, unciae semis additur mercurii praecipitati rubri scrupulus unus, drachma semis, et ope lintei carpli superficie ulceris imponitur: vel adhibetur solutio lapidis caustici, frequentissime lapis infernalis, quo superficies tota ulceris contingitur. Hildenbrand maxime

commendat solutionem concentratam nitratis argenti. Post applicationem caustici inducitur eschera, et charactere syphilitico deleto, ulcus evadit purum, simplex, et in cicatrizationem prouum. Per auctores multos, etiam per Hahnemann applicatio causticorum in ulceribus syphiliticis condemnatur, effectusque tristissimi vividis coloribus depinguntur. Neo dubium est, applicationem incautam summe noxiari esse, inducuntur enim inflammations topicae gravissimae, contagium non destruitur, sed irritatione majori indueta potius faciliter absorbetur. Causticorum usus tantum tunc indicatus est, dum uetus recens simplex, non late extensem, haud inflatum, nec cam alo morbo syphilitico conjunctum est; in tali casu post applicationem caustici sequitur cicatrizatione cito, et nullum prorsus vestigium morbi ulteriores observatur.

§. 31.

Si uleus syphiliticum fuerit late extensem, si post evolutionem ejus jam dies plures praegressi sint, si numero plura exstiterint et si nexum fuerit cum urethrite vel bubone syphilitico, tunc usus causticorum ut noxious contraindicatus est, tunc enim justus est metus, jam contagium fuisse susceptum in corpus, et per illud sustentari etiam exalcerationem topicam; in tali casu methodus anti-syphilitica est necessaria. Experientia trium seculorum docet, in tali casu hydrargyrum rite adhibitum esse medicinam efficacissimam; adferuntur quidem observationes multae medicorum Anglorum, Gallorum, et Germanorum, quibus probare nituntur, contra ulcera syphilitica hydrargyrum non esse necessarium. Observationes virorum eximiorum in dubium haud vocamus, sed illud nobis maxime probabile est, ulcera, quae consecutiis nullis subsecutis sine hydrargo sanata sunt, non fuisse vera syphilitica. Hahnemann impense commendat contra ulcera syphilitica usum hydrargyri, dissent tamen ab aliis observatoribus, quod doceat, sufficere unam billionesimam partem grani hydrargyri ad ulcera syphilitica intra quatuor-

decim dies sananda. De suis observatis vera dixisse auctorem admittimus, apud nos tamen medicina illius inefficax est; nam zelosi ejus discipuli in aegris fidem coecam in auctorem novae doctrinae habentibus cum omni cautela praescripta scrupulose adhibuerunt remedium etiam ultra ter quatuordecim dies, donec et ulcus extendi, et luis syphiliticae symptomata evolvi observassent, tunc morbus dosi hydrargyri majori sanatus est.

Exhibemus hydrargyri praeparata mitiora, ut mercurium gummosum Plenckii, mercurium solubilem Hahnemann, in primis autem mercurium dulcem seu calomelam, in pulvere, vel potius in pilulis bis per diem, initio granum semis, successive augemus dosim pro nycthemero ad grana duo usque quatuor, raro ad dosim majorem ascendimus. Simul commendamus aegro decoctum hordei vel althaeae, vel radicis bardanae, vel carecis arenariae, vel radicis sarsaparillae, quod virtutem hydrargyri adjuvat, secretiones omnes, in primis eam cutis promovet, et sic ad destruendum processum morbosum confert; ad quod obtinendum et ad ptyalismum molestum praecavendum necesse est, ut aeger refrigerium sollicite vilet, in temperatura semper moderate calida versetur, vitae regimen congruum observet, cibo tantum parco et blando, ut lacte, vegetabilibus, carne tenera utatur, a cibis multis, acribus, aromaticis, pinguibus, sale vel acido multo conditis abstineat. Pro potu aquam solam, tantum debilibus cerevisiam vel vinum dosi parva concedimus. Nisi aeger vitae regimen necessarium observare potuerit, vel voluerit, prudentia et humanitas exigit hydrargyri usum haud commendare; tunc enim haud prodest, organismum corruptit, hydrargyrosim provocat; si vero regulae datae exacte observatae fuerint, per methodum simplicissinam ulcus syphiliticum primarium spatio duarum, trium-ve septimanarum tollitur.

Saepe per remedia sola interna perficitur cura ulceris, externe tantum mundities est necessaria, ulcus quotidie bis aqua tepida abluitur, et linteo carpto molli sicco tegitur. Saepe tamen ulcus sibi relictum, non obstante cura interna,

sub dosi etiam hydrargyri magna ingesta nihil emendatur, latius serpit, impurum manet, quod dependet, partim a constitutione individuali aegri, partim quod ulcus syphiliticum in nonnullis maneat topicum, nullum contagium in partes internas receptum est; ideo hydrargyrum magna etiam dosi exhibitum nullum exerit effectum; in hoc casu necessaria etiam est cura topica, exquirimus nempe sit-ne ulcus cum inflammatione nexum, tunc a causticis omnibus abstinemus, sed adhibemus fomenta vel cataplasma emollientia, unguentum hydrargyri cinereum, linteo molli illinitum, quotidie ter quater-ve ulceri imponimus. Postquam inflammatio sublata est, et superficies ulceris impura cum marginibus callosis, inaequalibus conspicitur, tunc caustica applicamus; subinde aqua calcis sufficit, plus praestat calomela, cujas pulvis inspergitur superficie ulceris, vel forma unguenti applicatur; frequentius adhibetur mercurius sublimatus corrosivus, vel forma aquae phagedaenicae, vel forma liquoris mercurialis, e quibus praescribimus uncias tres, ut ter quater-ve quotidie ope lintei carpti ulceri imponatur; subinde majorem efficaciam exerit mercurius precipitus ruber in unguento adhibitus. Dum ulcus per phimosis reconditum est, inflammatione mitigata praescribimus decoctum cicuta ex uncia semis ad libram unam cum mercurii sublimati corrosivi grano uno usque tria, et intra praeputium et glandem perficitur injectio cante ter quater-ve per diem. Praeparata haec hydrargyri proficia sunt non ut anti-syphilitica, sed ut caustica; nam sanantur ulcera illa perfecte per alia caustica, imo observationes docent subinde ulcera post usum mercurialium causticorum magis extendi, impura redi, per alia autem caustica citissime sanari; tunc seposito hydrargo adhibemus jam oxymel aeruginis, jam solutionem lapidis caustici, jam butyrum antimonii, jam lapidem infernalem, jam secundum Hildenbrand solutionem saturatam argenti puri in acido nitri, quae ope penicilli ulceribus cante applicari potest. Per caustica inducitur eschera, qua decidua ulcus apparet purum, subinde tamen margines inaequales, callosi adhuc perdurant, repetita ap-

plicatione caustici tollendi; quamprimum uetus purum et simplex observatur, tunc nec applicatio ulterior caustici, nec usus internus hydrargyri ultiro requiritur, per deligationem solam cum linteo carpo molli, subinde adhibito simili plumbō cicatrisatio brevi perficitur.

CONDYLOMATA, EXCRESCENTIAE ET MACULAE SYPHILITICAE.

§. 32.

Morbis syphiliticis topicis ope therapiæ rationalis non illico curatis per contagium syphiliticum in organismum receptum producuntur frequenter status morbos in cute conspicui, pseudo-organisationes, excrescentiae variae, quae in genere vocantur condylomata. Talia saepe consistunt tantum in tuberculis parvis molestiam nullam causantibus, initio cuti concoloribus, dein vero fuscis vel cupreis, vocantur verrucae syphiliticae; saepe sunt tumores majores, basi latiori instructi, et tunc vocantur in sensu strictiori condylomata; saepe tumores ii post moram aliquam in apice sinduntur in plures partes ita, ut forma externa referant cristam galli; subinde excrescentiae sunt majores, formaque externa referunt jam sicum, jam porrum, jami caules, jam baccas rubi idaei, vel fragariae; colorem habent varium, frequentissime rubrum, cupreum, subinde fuscum, lividum, nigrescentem; initio sunt excrescentiae hae syphiliticae siccae, tardius secernunt liquidum glutinosum et peculiariter foetidum, acre, ideo cutis vicina excoriatur, finititur, vocanturque hae fissuræ rhagades; saepe excrescentiae sunt minimæ, non raro moles increscit ad plures libras, adhaerentque cuti jam basi lata, jam ope petioli vel pedunculi tenuis; observantur frequentissime in genitalibus, apud viros in superficie externa glandis, ad coronam ejus, in superficie interna praeputii, subinde in ostio urethrae,

non raro in scroto , circa superficiem internam femorum , in sexu sequiori obsident internam superficiem labiorum majorum , nymphas , ostium vaginae , subinde penetrant in uterus ; non raro conspicuntur in regione perinaea , circa anum , penetrant in urethram , in intestinum rectum ; subinde conspicuntur in cavo narium , faucium , pharynge , Corvisart adnotavit in ipso corde .

§. 33.

Nec tamen omnia condylomata pro syphiliticis declarari possunt , nam pseudo-organisationes cutis , excrescentias diversae figurae inducuntur per varias causas , reproductionem abnormem reddere valentes , ut per vermes intestinales , per irritationem mechanicam vel chemicam cutis , ideo ad errorem in diagnoysi evitandum symptomata cuncta evolutionem morbi cutis concomitantia attente colligi et combinari debent . Hahnemann docet , morbum , qui se characterisat per condylomata et excrescentias , distinctum esse ab eo , qui evolvitur post ulceram syphilitica praegressa , et morbum hunc condylomatibus insignitum per contagium distinctum excitatum vocat sy cosim (Feigwarzenkrankheit) , illiusque remedium specificum esse succum tujae homoeopathice praeparatum , quae tamen doctrina per observationes haud probata est ; imo vero ad lectos aegrorum convincimur quotidie , condylomata et excrescentias esse productum ejusdem processus syphilitici . qui excitatur per ulcus syphiliticum , euramque eorum perfici hydrargyri ope . Accidit quidem non raro , ut charactere syphilitico jam deleto condylomata et excrescentiae ut producta vegetationis luxuriantis remaneant , et tunc ut morbi topici per sola remedia topica tolli possunt ; basi haud lata existente per ligaturam injectam successive magis constrictam nutritio impeditur , et sic condyloma excrescens decidit , subinde cultro vel forfice abscedi potest ; sed si radix exerescentiae remanserit , tunc iterum repulliat , ideo in pluribus casibus caustica sunt necessaria ; saepe sufficient blandiora , ut pulvis frondium sabinae , quo superficies condylomatis , saliva illinita quotidie semel inspergitur ,

vel ex quantitate anatica pulveris cum axungia porci paratur unguentum, et eodem quotidie semel condyloma iungitur, post paucas septimanas exarescit; eadem ratione adhibetur calomela; saepe fortiora requiruntur, solutio mercurii sublimati corrosivi, oxymel aeruginis, lapis causticus, butyrum antimonii, nitras argenti. Meminisse semper oportet, applicationem causticorum aegro committi nunquam posse, facile inflammatio molesta inducitur; nec instituendus est usus causticorum, donec processus inflammatorius in organismo evolutus per methodum congruam non fuerit sublatus; si autem condylomata non essent producta luis syphiliticae, sed tantum per irritationem mechanicam, aut chemicam, vel per morbos alios vegetationis provocata, tunc methodus anti-syphilitica est inutilis et noxia.

§. 34.

Praeter condylomata comparent non raro etiam maculae, et quidem subinde cum urethrite vel cum ulceribus syphiliticis conspicuntur in monte Veneris, in regionibus inguinalibus, in peni, scroto, externa superficie labiorum majorum, femorum, in perinaeo maculae parvae ad magnitudinem lentis jam flavicantes, jam fuscae, subinde parum prurientes, initio siccae, sed dein secernentes liquidum spissum, foetidum, quod exsiccatur in squamas vel crustas. CompARENT hae maculae in mulieribus munditiem debitam haud observantibus, et non raro per solam lotionem cum aqua tepida vel decocto emolliente sanantur; subinde tamen testantibus Lagneau et Biet post maculas has syphilis universalis evoluta fuit. In nosocomiis male coordinatis, ubi aegri copiosi accumulati sunt, quin mundities summa sit, maculae hae transiverunt in sphacelum; fuit sine dubio gangraena seu sphacelus nosocomialis.

MORBUS SYPHILITICUS UNIVERSALIS.

§. 35.

Postquam morbi syphilitici topici in genitalibus se manifestarunt, et cura congrua remoti non sunt, actio contagii extenditur in reliquum organismum, et sic evolvitur morbus syphiliticus universalis seu lues venerea, quod contingit diverso tempore pro diversa constitutione individuali aegri, saepe post quatuor usque sex septimanas a contagio suscepto, non raro tardius post plures menses, imo observationes omni fide dignae probant, stadium hoc incubationis subinde excurrere per medium annum, per annum integrum et per plures annos; quomodo hoc fiat, ut contagium tam diu lateat et ubi lateat, explicare haud valemus, tantum observatione scimus, etiam alia semina morborum, etiam alia contagia, ut illud hydrocephaliae saepe in organismo latere per plures menses, imo et annos. In plurimis casibus post sex septimanas incipit contagium se exercere in corpore saepe prodromis vix observatis, saepe tamen manifesta sunt symptomata febrilia, ut dedolatio artuum major, appetitus cibi minor, color faciei pallidior, calor animalis variabilis, jam horripilatio, frigus, jam iterum calor, evacuationes alvi, urinæ et perspiratio cutis evadunt plus minusve abnormes, somnus turbatus, animus quoque mutatus, natura tamen febris manet dubia et aegrd et medico; secundum symptomata praedominantia declaratur pro febri gastrica, catarhalis vel rheumatica, et ideæ conceptæ conformiter adoratur therapia, effectus tamen desideratus non obtinetur; sed sub symptomatibus febris perdurantibus, dein evanidis, evolvuntur phænomena syphilidem universalem annunciantia; et quidem in plurimis casibus observantur primo efflorescentiae cutis syphiliticae, relate ad formam, structuram et extensionem variae. Frequentissime observantur maculae in pectore, dorso, collo, subinde extremitatibus ac ipsa facie, parvae ad magnitudinem lentis, subinde ma-

jores, latiores, coloris fusci aut rubescantis, cuprei, saepe siccæ nec pruritum, nec ardorem excitant; saepe tamen noctu pruritu molestant, non raro liquidum secernunt glutinosum parva quantitate, quod ab aëre exsiccatur in squamu-
las aut crustas; ita maculae hæ similitudinem habent jam cum chloasmate pseudo-porragine, jam cum lichene, non raro sub incremento morbi maculae exulcerantur et ulcera syphilitica secundaria nascuntur. Subinde comparent in cuti vesiculae parvae miliarium instar, Alibert vocat syphilidem miliarem; subinde vesiculae tales erumpunt in area circulare coloris cuprei ita, ut similitudinem habeant cum herpete, vesiculae ruptae exsiccantur in crustam jam flavam, jam virescentem, infra quam exulceratio non raro continuat. Subinde efformantur circuli vel semicirculi, in cujus peripheria initio vesiculae vel papulae, dein squamae vel crustæ parvae conspicuntur, dum cutis in medio munda manet; non raro tales circuli invicem nexi figuram oblongam gyratam referunt; dum tales herpetes per cutis partem majorem extenduntur, vocatur serpigo. Non raro efformantur sine papulis et sine vesiculis praegressis areae jam minores, jam majores circulares, squamis fuscis vel cupreis obsitæ, pruritum et ardorem excitantes, quæ disseminantur per cutis partem majorem, morboque neglecto accedunt fissuræ, rhagades, dicitur lepra syphilitica. Saepe comparent in cuti pustulae, subinde minimæ, inflammatae, in apice transeunt in suppurationem ita, ut appareat vesicula liquido albo opaco repleta, areola livida vel fusco-rubra cineta, causantque saepe pruritum et ardorem nimium, in primis noctu ita, ut habeant similitudinem cum scabie, ideo dicitur scabies syphilitica. Non raro sunt pustulae segregatae, ad magnitudinem pisi, vesiculae in apice efformatae continent pus flavicans, virescens, et exsiccantur in crustam fuscam vel viridem, subinde crassam; tales pustulae obsident nonnunquam frontem, et extenduntur in partem capillatam capitis, dicitur corona syphilitica. Subinde in parte capillata capitis pustulae minimæ aggregantur, liquidum glutinosum secretum in crustam induratur, et mor-

bus refert porrigenem seu tineam, valde molestam, bulbos capillorum destruentem, ideo calvities, alopecia nascitur. Ita per efflorescentias has late extensas afficiuntur vasa lymphatica, glandulae eorum intumescunt et sic efformantur. bubes secundarii, morbosus status extenditur et in ungues, quae inflammantur et exulcerantur.

L.F. H. Albers, Über die Erkenntniss und Cur der syphilitischen Hautkrankheiten. Bonn. 1832.

§. 36.

Postquam per processum morbosum syphiliticum affectiones diversae in cuti, in membrana mucosa cavi oris et narium inductae fuerunt, accedunt status morbosum ossium; initio semper tantum periosteum corripit inflammatione specifica, quae se manifestat per dolores sensim incrementales, saepe intolerabiles, quos aeger noctu percipit, interdiu silent pro parte vel ex integro; sedes dolorum osteocoporum est frequentissima in ossibus longis cylindricis extremitatum tam inferiorum, quam superiorum, non raro tamen dolent etiam ossa lata cranii, faciei, pectoris, ut scapulae, sternum, costae, ossa pelvis, imo et vertebrae. Sub exordio saepe praeter dolorem plus minusve extensem nulla alia mutatio distinguitur in osse; morbo tamen diutius durante contingit secretio morbosa in ossibus, et sic efformantur tumores osteocopi varii, molliores vocantur gummata, duriores nodi vel topi; morbo ultro incrementale, etiam periosteum internum inflammatione specifica corripit, tunc totum os morbose intumescit, textura redditur abnormis, ossa evadunt fragilia, ut per solum motum frangantur; non raro adipiscuntur ossa mollitiem morbosam, dicitur osteomalacia vel rhachitis syphilitica, tunc evadunt flexibilitas, et enascuntur curvaturae diversae. Degeneratio frequentissima ossibus per morbum syphiliticum neglectum inducta est caries, qua evoluta dolores percipit aeger in ossibus plurimum excruciantes, excitantur inflammations in partibus vicinis, et organismus totus in consensu trahitur; sic excitatatur inflammatio in bulbo oculi, subinde in conjunctiva, in

cornea, frequentissime in iride, non raro in auribus, tam externe quam interne; non raro excitantur inflammations in meningibus cerebri ac medullae spinalis, dum nempe ossa cranii, vel vertebrae carie afficiuntur; frequentius observantur inflammations syphiliticae in larynge, trachea, bronchiis, subinde in corde, non raro in organis cavo abdominis inclusis; atque ita per syphilidem producuntur morbi vari, dyspepsiae, gastro-enteralgiae, raucedines, dyspnocae, phthises, cephalaeae, sensuum externorum laesiones diversae, epilepsiae, paralyses, vesaniae, etc. acciditque subinde, ut symptomata communia luis syphiliticae sint obscura, symptomata alterius morbi vero magis eminentia, et tunc vocatur *syphilis larvata vel occulta*, ad cuius diagnosis requiritur saepe observatio exacta longior et in symptomatum evolutionem, et in effectum remediorum adhibitorum,

§. 37.

Diagnosi morbi stabilita valemus prognosim cum probabilitate quadam pronunciare. Morbus syphiliticus topicus non raro per solam autocratiam naturae sanatur; quod etiam asseritur de morbo syphilitico universalis in regionibus calidis, apud nos hac ex parte autocratia naturae est minus efficax ita, ut nullum exemplum fide dignum habeamus luis syphiliticae sponte sanatae; exempla autem plurima existunt, ubi morbus sibi relictus consecaria habuit tristissima; per inflammations syphiliticas inducuntur devastaciones organismi, postquam doloribus atrocissimis saepe per plures annos aeger exercutatus fuit, in morbos varios, ut epilepsiam, paralysim, febrim hecticam, phthisim, hydropem incidit, donec morte miserrima extinguitur. Subinde ob constitutionem aegri individualem lues syphilitica semel evoluta, nec per therapiam rationalem perfecte tolli potest; nam non raro, vita licet conservata, remanent status morboi vari, ut alopecia, cicatrices foedae in enti, dolores articularum pertinacissimi, exostoses, vitia organica sensuum externorum, perforationes palati et septi narium, nasus consumitus, etc.

In prognosi pronuncianda attendimus ad momenta conditionem organismi totius determinantia; ita syphilis universalis in infantibus et senibus decrepitis prognosim habet minus faustam; in gravidis est lues periculosior, quia morbus etiam foetui communicatur, et facile abortus locum habet. Morbus recens in viro constitutione firma praedito facilis vincitur, quam morbus inveteratus in subjectis debilibus, per morbos alios, in primis per curas mercuriales perverse adhibitas enervatis; augmentur pericula per complicationes cum aliis morbis, ut febribus, inflammationibus, exanthematibus, profluviis, retentionibus, cachexiis, et neurosibus; in specie complicatur in infantibus cum scrofulis, rhachitide, in adultis cum scorbuto, non raro cum scabie, in diversis locis cum morbis endemicis, unde formam peculiarem acquirit; ita in Polonia complicatur cum plica Polonica, in Lombardia cum pellagra, in Hispania cum rosa Asturica, in Norvegia cum scorbuto, sub nomine Radesyge, quae tamen occurrit etiam sine morbo syphilitico, et speciem constituit elephantiasis. In Canada observatus est morbus complicatus cum scorbuto et descriptus nomine Sibbens. In Istriâ, in specie in districtu Fluminensi est lues syphilitica late extensa, quae se manifestat in primis per pustulas et excrescentias cutaneas varias, complicatur non raro cum scabie, sed saepè etiam sine illa morbum proprium constituit sub nomine Skerlevo. Prognosis tandem morbi determinatur per therapiam, quae rationalis et mature adhibita morbum plurimis in casibus feliciter removet.

F. Holst, morbus, quem Radesyge vocant, quinam sit, quamque ratione e Scandinavia tollendus. Christiania. 1817.

L. Hünefeld, die Radesyge, oder die Scandinavische Syphiloid. Aus Scandanavischen Quellen dargestellt. Leipzig. 1828.

Jenninger, Geschichtlich-administrativer Hauptbericht, über die Skerlevo Heilanstalten im Fiumaner Kreise, sammt Beschreibung der Krankheit, ihrer Heilart, und Ausrottungsmassregeln. (Med. Jahrbücher des k. k. Österreich. Staates. B. V. St. 3. 4.)

G. C. C. W. Miehahelles, Das Malo di Scarlevo in Historischer und Pathologischer Hinsicht beschrieben. Nürnberg. 1833.

§. 38.

Quotiescumque therapiam morbi syphilitici suscipimus, determinare conanur praevie, sit ne morbus syphiliticus simplex vel complicatus; si forte morbus alter, ut febris vel inflammatio valida, vel exanthema acutum, vel profluviū, vel retentio, vel neurosis, periculis majoribus stipatus est, tunc therapia contra eum dirigi debet; ita etiam si morbus alter complicatus, ut scorbutus, quod non raro observatur in carceribus, castris et navibus maritimis, per therapiam anti-syphiliticam incrementa majora caperet, cura primo anti-scorbutica perficienda est. Subinde complicatur syphilis cum aliis morbis, ut scrofulis, rhachitide, infarctibus abdominalibus, qui licet diversa symptomata, causas et exitus habeant, tamen therapia eadē, quae contra syphilidem indicata est, removeri possunt.

Romedia quidem diversa proposita sunt contra syphilidem, nec desunt auctores, qui docent, morbum syphiliticum omnem absque hydrargyro sanari posse, experientia tamen trium seculorum confirmat, hydrargyrum esse efficacissimum, et specificum anti-syphiliticum jure eodem dici posse, quo cortex cinchonae specificum anti-pyreticum vocatur; licet verum sit, per hydrargyrum solam morbum syphiliticum haud sanari semper, esequere illud non raro inutile, imo noxiū, alia remedia magis proficia.

In omni casu individuali definiri debet, sit ne ad curam perficiendam hydrargyrum necessarium. Quousque morbus syphiliticus tantum topicus est, frequentissime sanari potest sine omni hydrargyro, sanaturque securius, citius et jucundius; sed quamprimum se manifestant symptomata morbi latius in organismo extensi, tunc etiam subinde sine hydrargyro sanari potest morbus, subinde per solam diaetam tenuissimam, sed talis cura est minus tuta, magis diurna et multo molestior aegro, in tali ergo casu hydrargyrum aliis praferendum est. Sed nec in tali casu possumus semper adhibere hydrargyrum, constitutio aegri individualis non raro

impedit applicationem ejus; nonnulli aegri a dosi minima hydrargyri enteralgia, gastralgia, ptyalismo, diarrhoea corripiuntur, ad externum usum remedii statim inflammatio cutis, erythema mercuriale, pustulae molestae inducuntur; talem constitutionem individualem non possumus a priori, sed tantum per observationem ex effectu remedii adhibiti cognoscere, quae nos informat de impossibilitate morbum praesentem hydrargo tollendi.

Richoud, sur la non existence du virus vénérien. Paris. 1826.

Jourdan, traité complet des maladies vénériennes. Paris. 1826.

Devergie, Clinique de la maladie syphilitique. Paris. 1827.

H. M. L. Desruelles, Mémoire sur les résultats comparatifs, obtenus par les divers modes de traitement mercuriel et sans mercure, employés à l'hopital militaire d'instruction de Val de Grace depuis le 16 Avril 1825 jusqu'au 31 Juillet 1827 contre les maladies vénériennes. Paris. 1828. Seconde mémoire 1829.

Krüger, Darstellung der jetzt in England üblichen Behandlung venerischer Krankheiten ohne Merkur (Horn's Archiv. 1822. Febr. S. 99.)

C. W. Hufeland, Bemerkungen über die neue englische Methode, die Syphilis ohne Merkur zu behandeln (Hufeland's Journ. der pract. Heilkunde. 1822. Sept. S. 20.)

G. F. Handelshuh, über die Syphilis und ihre Heilung ohne Quecksilber. Würzburg. 1826.

T. Rose, observations on the treatment of Syphilis etc. (Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. Bd. IV. S. 63.)

G. P. Guttrie, observations on the treatment of the venereal disease without mercury, (Rust's Magazin Bd. V. S. 242.)

I. Thomson, Bemerkungen über die Behandlung der Syphilis ohne Quecksilber (Rust's Magazin Bd. V. S. 123.)

Schweiger, Einige Nachrichten über die öffentlichen Heilungs-Anstalten zu Stockholm, und die daselbst gebräuchliche Hungerkur. (Hufeland's Journ. d. p. II. 1817. Jun. S. 61.)

Struve, Über Diät, Erziehungs-und Hungercur. Altona. 1822.

§. 39.

Dum curam suscipimus ope hydrargyri, aegrum praepare debemus; raro sine omni praeparatione curam inchoamus. Olim consuetudo erat, aegro omni syphilitico ad exordium curae venam secare, quam methodum hodie ratio et experientia reprobant, nonnisi dum per contagium syphiliticum vel per potentias alias nocentes in aegro diathesiphlogistica eminentiori praedito provocatur febris inflammatoria cum inflammatione topica intensiore, sanguinis evacuatio jam universalis, jam topica indicata est. In genere vitae regimen anti-phlogisticum est summe necessarium, diaeta tenuis, blanda, ut plurimum vegetabilis; nonnisi aegris debilibus concedimus carnes teneras, omnibus dissuademus cibos copiosos, duros, pingues, multo sale et aromate conditos, fumo induratos et acidos; pro potu commendamus aquam; spirituosa ut cerevisiam vel vinum bonum tantum aegris debilibus concedimus. Tali diaeta aeger jam pluribus diebus uti debet, antequam curam mercurialem adhibeat, ne saburra in tubo alimentari adsit, quae effectum hydrargyri impedit; ideo in plurimis aegris, nisi diarrhoea laborent, exhibetur medicina purgans, jam senna, jam rheum. Peculiaris attentio dirigi debet in temperaturam externam, quam aeger semper moderate calidam, quindecim usque octodecim graduum sustentare debet, refrigeriumque omne sollicitate evitare, ne piyalismus fatalis exoriatur, ne perspiratio cutis libera ad curam perficiendam necessaria impediatur; ideo ad curam praeparatoriam pertinent etiam balnea tepida, pro intensitate merbi et constitutione individuali aegri jam plura, jam pauciora. Curam promovet motus corporis moderatus, sub quo excretiones cunctae rectius contingunt; ideo sub cura mercuriali nequaquam necessarium est, ut aeger lecto continuo affixus maneat; potest labores suos consuetos, et motum in aere libero perficere, dummodo refrigerium evitet.

Si forte in aegro adessent symptomata debilitatis majoris, tunc ante curam mercurialem methodus roborans necessaria est,

§. 40.

Methodus applicandi hydrargyrum duplex est, externa et interna. Antiquissima est, externa et hodie etiam saepe efficacissima, quae vario modo applicatur, et quidem:

1-mo. Forma sumi, ferro carenti vel prunis carentibus inspergitur cinnabaris vel mercurius dulcis, et aeger exponitur fumo mercuriali, quae methodus in partibus nonnullis Hungariae popularis, a medicastris etiam ignarioribus adhibita, proficua fuit, sed aegros non paucos suffocando enecuit; per medium rationalem sumus dirigitur ope apparatus idonei in partem corporis principaliter affectam, et tunc ulcera secundaria, exostoses, caries ossium saepe aliis remediis rebelles feliciter sanantur.

2-do. Subinde applicatur externe calomela, et quidem granum semis, unum inungitur quotidie ter internae superficie labiorum oris et gingivis, in primis dum ulcera secundaria in cavo oris praesentia sunt, quae methodus, quod facile ptyalismum molestum et ulcera mercurialia in cavo oris inducit, vix exercetur.

3-to. Frequentius commendabatur pro usu externo mercurius sublimatus corrosivus, et quidem forma clysmatis, cuius tamen effectus valde dubius est, ideo haud exhibendus nisi ulcera adfuerint in intestino recto. Balnea olim consueta, sed dein oblivioni tradita, recentissime maxime commendavit Wedekind, ut pro balneo uno adhibeatur mercurii sublimati corrosivi et salis ammoniaci ana uncia semis, augendo usque unciam unam, aegerque insideat quotidie per mediam usque unam horam; hoc remedio morbum pertinacem ulceribus, excrescentiis et efflorescentiis foedis notatum saepe sanatum fuisse testatur; quia tamen applicatio talis facile periculosa evadere potest, et quia per alias methodos longe saepius feliciter sanatur syphilis, ideo nos similia balnea nunquam adhibuimus; sed solam solutionem mercurii sublimati corrosivi in morbis cutis syphiliticis topicis commendamus. Tuttior est methodus a Cirillo et Hufeland laudata: mercurii sublimati corrosivi, salis ammoniaci depurati ana drachma una, diu triturando exactissime miscetur

cum axungiae porci uncia una, primo die exhibetur aegro purgans medicina, sequenti die mane insidet per horam balneo tepido, vesperi inungitur plantis pedum unguentilau-
dati drachma semis, et hoc quotidie; quarta die inunctione intermissa adhibetur balneum tepidum; quinto die augetur dosis unguenti ad drachmam unam, post quatuor dies ad drachmas duas, quae dosis retinetur, et ita cura continua-
tur, usque dum symptomata morbi syphilitici omnia disparue-
rint. Efficacia quidem remedii hujus et hic probata fuit; nec tamen eam commendamus, partim quod minus secura
sit, pro diversa enim crassitie cutis in planta pedis diversa quan-
titas hydrargyri suscipitur in organismum, partim quod cura
sit diurna, testante Hufeland per medium annum et
subinde etiam diutius continuanda. Facilius est methodus
per L. Hoffmann proposita, ut pediluvio praemissso plan-
tis pedum imponatur vesica nulla, cui illinitum est unguen-
tum mercurii sublimati corrosivi, firmeturque per tibialia
et soleas, ut aeger labores et motus suos consuetos perfice-
re valeat, ut per frictionem continuam pharmaci actio
provocetur; sed etiam haec methodus minus secura, ideo
haud commendanda.

4-to Freqnentissime externe adhibetur unguentum hy-
drargyri cinereum, seu oxydulum hydrargyri imperfectum,
per triturationem cum axungia porci paratum, et quidem
methodus anti-syphilitica a Schola Montepessulana laudata,
quod morbi symptomata sublata sint, quin ptyalisinus provo-
catus fuerit, methodus per extictionem dieta, magnam
sibi celebritatem meruit. Aeger praeparabatur per medicinam
purgantem, dein per decem usque quatuordecimi dies adhi-
buit balneum tepidum; utebatur totò hoc tempore diaeta
tenui, decocto bardanae vel sarsaparillae. Postea cura ita
continuabatur, ut aeger mane adhibuerit balneum tepidum,
vesperi ejusdem diei instituebatur inunctio; sequenti die con-
cedebatur quies; tertio die mane balneum, vesperi inunctio;
et sic alternis diebus idem repetebatur; numerus balneo-
rum determinabatur a statu individuali aegri, a morbi intensi-
tate et duratione; si aeger erat debilis, et in balneo debi-

titatis sensus major evolvebatur, si lues syphilitica erat re-
cens, tunc balnea quatuor sexve adhibebantur; si vero
aeger erat robustus, cute duriore praeditus, lues inveterata,
tunc balnea duodecim usque viginti requirebantur. Pro inunc-
tione vesperi suscipienda adhibebatur initio unguenti hy-
drargyri cinerei drachma semis, post tres quatuorve inunctio-
nes dosis aucta fuit ad drachmam unam, successivo in viris
ad drachmas duas, in mulieribus ad drachmam unam et se-
mis. Inunctionem perfecit ipse aeger, vel si non valuissest
ob debilitatem alter, cuius manus munita fuit manica e ve-
sica suilla parata; persiebatur frictio loco calido, hyeme
prope ad fornacem; evitabatur frictio rudit, facile inflam-
mationem erysipelaceam, vel pustulas provocans; sed insti-
tuebatur inunctio frictione moderata per quadrantem usque
medium horam, et quidem primo vesperi inungebatur dorso
unius pedis, cruris usque ad genu; tertio die femori usque
regionem inguinalem, quinto die dorso manus et antibrachio
usque ad cubitum, septimo die brachio a cubitu usque sca-
pulam, nono die ordine eodem instituta est inunctio in ex-
tremitatibus alterius lateris, et sic alternis diebus continua-
ta. Toto tempore curae debuit aeger in temperatura aequa-
bili moderate calida manere, diaeta tenui uti, decoctum bar-
danae vel sarsaparillae haurire, continuabaturque cura, do-
nec symptomata omnia syphilidis deleta fuerunt; quamprimum
prodroma ptyalismi vel phlogosis aliqua in cuti compa-
ruerint, tunc cura per plures dies intermissa est, nec
symptomatibus luis evanidis, cura statim terminata est;
non raro tunc morbus latens post moram jam breviorem,
jam longiorem iterum erupit; ideo securitatis causa cura ad-
huc continuari debuit per duas tres-ve septimanas; ita ad
curam perficiendam in morbo recenti requirebantur unguen-
ti hydrargyri cinerei unciae quatuor usque quinque, in mor-
bo inveterato unciae sex usque octo, subinde libra una
usque librae duae; cura terminata balneum tepidum fuit sum-
me necessarium. Cum methodus haec aegris multis molesta
et diurna fuerit, ideo propositae fuerunt aliae bre-
viores, et quidem Torreille commendat, ut praec-

missus balneo et peniluvio superficii internae praeputii iungatur tribus digitis per quindecim minuta unguenti hydrargyri cinerei drachma semis, quotidie bis; post tres quartuor-vedies comparent prodroma ptyalismi, tunc inunctio suspenditur per quadraginta octo horas, dein iterum suscipitur, aucta dosi unguenti ad drachmas duas ita, ut mane et vesperi drachma una inungatur; testaturque, se hac methodo luem recentem intra duodecim, inveteratam autem intra octodecim usque viginti dies sanasse; methodus tamen haec praesente phimosi, paraphimosi et ulcere syphilitico inflammato contraindicata ab aliis adhibita non fuit.

Mitior est methodus, quam Scattigna, Lallemand et Palazzi commendarunt, ut vesperante decubitus infra axillas inungatur unguenti hydrargyri cinerei drachma semis, successiva aucta ad drachmam unam, jaceatque aeger tota nocte brachiis denudatis pectori appressis.

P. Lalouette, nouvelle Méthode de traiter la maladie vénérienne par la fumigation. Paris. 1776.

P. Clare, an essay on the cure of abscesses by caustic. Also a new Method of introducing Mercury into the circulation for the cure of Lues venerea. London. 1770.

Royer, sur la Méthode nouvelle de traiter les maladies vénériennes par des lavemens. Paris. 1707.

Ferrand, observations sur les différentes Méthodes de traiter les maladies vénériennes, avec une nouvelle méthode de guérir ces maladies par des lavemens mercurielles, Narbonne. 1770.

— — avviso intorno alla maniera di adoperare l' unguento di sublimato corrosivo nella cura delle malattie vene-
ree. Napoli. 1780.

D. Cirillo, traité complet et observations sur les maladies vénériennes, traduit par C. E. Auber. Paris. 1803.

Wedekind, Fragmente zur Aufstellung der Theorie und Cur der venerischen Krankheiten (Heidelberger klinische Annalen. Bd. VI. H. 2. S. 218.)

Chicoineau, Diss. an ad curandam luem venereum frictiones mercuriales in hunc fidem adhibendae sint, ut saliva fluxus concitetur. Montpellier. 1718.

A. R. Torreille, essai sur une nouvelle méthode d' administrer le mercure dans les maladies vénériennes. Strasbourg. 1810.

V. Scattigna, nuovo metodo di amministrare l' unguento mercuriale ne mali sifilitici. Napoli. 1818.

§. 41.

Quiescunque lues syphilitica est inveterata, non tantum per integumenta communia extensa, sed etiam membranas internas, in primis periosteum, et ipsam substantiam ossis comprehendens, tunc inter methodos anti-syphiliticas externas efficacissima est ea, quae Cura magna vocatur, antea in Gallia per Petit et Fabre in primis commendata, dein per plures annos oblivioni tradita, recentioribus temporibus per Louvrier resuscitata, et per Rust maxime laudata, cuius intentio est, hydrargyrum organismo ita applicare, ut effectus magnus, salivatio larga quam citissime provocetur, et per eam continuatam processus syphiliticus ex integro deleatur. Cautelas sub usu hydrargyri necessariae in hac cura debent strictissime observari; aeger semper praeparatur, primo exhibetur ei purgans medicina, tantum non mercurialis; Louvrier maxime commendat radicem jalappae; multis convenit infusum foliorum sennae cum arcano duplicato, vel sale amaro, vel sale mirabili Glauberi; vel in vicem mixturae minus gratae praescribimus electuarium lenitivum, vel pulverem radicis rhei chinensis cum arcano duplicato, et melle despumato forma boli; sequenti die insidet aeger balneo tepido, 25—30 graduum therm. Reaum., si debilior esset tantum per medianam horam, fortior per integrum horam, imo fortior potest quotidie bina balnea ad libere, ut curam praeparatoriam citius absolvat; aegro debiliori sufficiunt balnea duodecim, fortiori in primis cuti duriore praedito commendamus viginti, usque triginta. Toto hoc tempore debet aeger in temperatura externa 18—20 graduum calida constitutus esse, diaeta tantum tenui uti; nempe sumit quater de die jusculum carnium gelatinosum, non pingue, ad libram unam et semis, cui incoquitur parva quantitate alternatim jam panis, jam oryza, jam hordeum decorticatum, jam pasta farinacea; praeter hunc cibum et panem quatuor usque sex unciarum, nihil conceditur; pro

potu accipit aquam puram , praeterca decoctum calidum ve
 frigidum pro lubitu , pro nycthemero tres usque quatuor li-
 bras ; Louvrier praescribit decoctum e radice althaeae
 et bardanae cum radice liquoritiae ; Rust maxime commen-
 dat decoctum radicis sarsaparillae , cuius efficacia certo ma-
 jor est in curanda lue syphilitica . Terminato usu balneorum ex-
 hibetur aegro secunda vice purgans medicina ; et morbus
 milior , recens non raro per solam hanc methodum praepa-
 ratoriam tollitur , quin cura ulterior necessaria sit . Sed
 in morbo inveterato cura ulterior efficacior est absolute
 necessaria , quae perficitur per inunctionem unguenti hy-
 drargyri cinerei , dosim a drachma una , successive ad drach-
 mam unam et semis , tandem ad drachmas duas et semis
 augemus , donec salivationem sufficientem , nec tamen excess-
 sivam produxerit . Praestat , ut inunctiones aeger solus insti-
 tuat ; si tamen debilis est , tunc instituatur per alterum ma-
 nu semper vesica suilla munita , sitque frictio tantum mode-
 rata , ut unguentum cuti adhaereat , nunquam rudis cutim
 irritans ; ne unguentum deteratur , aeger debet a prima in-
 unctione usque ultimam eundem vestitum et eadem lectisler-
 nia retinere , ideo etiam ne refrigerium ullo modo admitte-
 re possit , quod sub hac cura effectum letalem habet , pro-
 pterea debet peles tibialibus et totum corpus semper debi-
 te tectum habere , nec cubile , in quo cura peragitur , ven-
 tilari potest ante curam absolutam ; tantum in cubili vicino
 renovatur aer quotidie , et postquam temperaturam mode-
 ratam habet , per portam apertam renovatio in alio etiam cu-
 bili instituitur . Post usum purgantis medicinae sequenti die
 mane peragitur prima inunctio in crus utrumque a malfolis
 usque ad genua ; secundo die conceditur quies ; tertio die
 fit inunctio secunda in femora bina incipiendo a genubus ,
 usque ad ilea ; quarto die conceditur quies ; sexto die perfi-
 citur inunctio tertia in extremitates superiores a carpo us-
 que scapulam ; septimo die nulla est inunctio ; octavo die
 est inunctio quarta incipienda a lumbis ascendendo per dor-
 sum versus scapulas usque ad collum ; nona die est quies ;
 decimo die inunctio quinta in crura bina ; undecimo die quies ;

duodecimo die inunctio sexta in femora binæ; decimo tertio die nulla inunctio; decimo quarto die inunctio septima in extremitates superiores; atque haec est medietas curae; tunc in genere terminantur inunctiones matutinac, sub quarum usu ne error ullus committatur, et ut effectum remedii cognoscamus, aegrum quotidie ad minimum bis inspicimus. Aegri nonnulli ob constitutionem suam individualem statim post inunctionem secundam tertiam-ve incident in ptyalismum excessivum cum febri valida, subinde et convulsionibus juncta, tales curam continuare non valent, encantur per eam; ideo phaenomenis tam gravibus observatis aegrum statim imponimus balneo tepido, et post moram mediae horae ope spongiae cremato et sapone imprægnatae abluimus corpus universum, ne cuti quidquam ex hydrargo adhaereat, dein linteamine calido obvolutus deportatur in cubile aliud, ubi aer sicrus, purus et moderate calidus est, methodusque roborans individuo congrua administratur. Aeger pro hac cura magna idoneus post tertiam quartam-ve inunctionem experitur mutationem in corpore, alterationem aliquam febrilem, calorem exaltatum, pulsus frequentior, mollem, capitis gravitatem, appetitum cibi imminutum, urinas et alvi evacuationem rariorem, cutim acidam, os siccum, linguam impuram, saporem oris metallicum, quæ cuncta prodroma sunt ptyalismi, qui mox comparet et cito increscit. Dum spatio nycthemeri quantitas salivaæ evacuatae efficit libras tres, tunc ptyalismus est moderatus, et tunc dosim unguenti eandem pro frictione continuamus; quia tunc appetitus cibi est valde imminutus, exhibemus aegrotantum bis per diem fuscum tenue, et ad molestiam oris imminuendam commendamus, ut omni hora vel aquam communem tepidam, vel decoctum foliorum malvae, vel lac tepidum, vel infusum florum sambuci cum lacte ore teneat et eluat. Circa diem decimum quartum et decimum quintum curae, observantur in organismo mutationes majores, febris intensior, pulsus frequens, durus, lingua muco spisso crasso tecta, inquietudo corporis, tormenta in abdomine, non raro tenesmus ad alvum; et tunc die decimo quinto curae

quiete concessa, decimo sexto die incipimus adhibere inunctiones vespertinas et quidem in dorsum; decimo septimo die curae mane porrigitur purgans medicina, qualis sub exordio curae data est, ut aeger binas ternas-ve alvi evacuationes habeat; dum alvi evacuationes sufficientes sponte contingunt, purgans medicina necessaria non est; decimo octavo die curae vesperi suscipitur inunctio secunda vespertina in erura; decimo nono die mane purgans medicina; vigesimo die inunctio vespertina tertia in femora; vigesimo primo die mane purgans; vigesimo secundo die inunctio vespertina quarta in extremitates superiores; vigesimo tertio die mane purgans medicina; vigesimo quarto die inunctio vespertina quinta in dorsum; vigesimo quinto die mane purgans; vigesimo sexto die aeger imponitur balneo calido, et post medium horam cutis universa abluitur ope spongiae, sapone ac cremato impraegnatae, linteo calido siccatur, vestimentis mundis tegitur, et in aërem purum siccum, sed calidum transfertur. Numerus inunctionum vespertinarum determinatur per intensitatem morbi, et constitutionem individualem aegri; nam frequenter symptomata morbi disparent omnia post inunctiones matatinas, et tunc sufficient inunctiones vespertinae duae tres-ve; rarissime requiruntur plures quam quinque; ita ut in casibus longe plurimis vigesimo sexto die cura tota absoluta sit, ad quam perficiendam sufficiunt unguenti hydrargyri cinerei unciae tres et semis. Tempore inunctionum vespertinarum conceditur aegro jam cibus magis nutriendis, nempe jus carnium aliquantum magis concentratum, pro prandio et coena ovum unum sorbile, poculum vini boni, si fieri potest Tokayensis.

Post curam peractam omnes aegri sunt macilenti et debiles; sed brevi a morbo molesto liberati restaurantur per solam diaetam nutrientem successive concessam reverlitar vigor, et in genere pinguiores evadunt; sed longo tempore refrigerium sollicite vitare debent, nam secus ob sensibilitatem cutis exaltatam facile rheumatismo pertinaci corripiuntur.

Methodus haec jucunda quidem non est. sed haud longa, et secundum observationes ubique institutas, etiam in schola clinica repetitas, efficacissima. Nec tamen contra omnem morbum syphiliticum commendari potest, nam organismum violenter afficit; referente Louvrier sub ipsa cura aegri inter convulsiones apoplectice extipeti sunt; non paucis per salivationem nimiam dentes corruptuntur, et excidunt; in nonnullis debilitas nimia diutissime durat, et dolores articulorum per annos aegrum excruciantes locum habent; ideo non commendamus hanc methodum aegris debilibus, dispositione nervosa vel phthisica praeditis, nec gravidis, infantibus teneris vel senibus decrepitis, sed juvenibus, viris ac mulieribus fortioribus, qui luem syphiliticam habent in organismo late extensam, inveteratam, methodo alteri mitiori rebellem; in talibus certo cura haec magna cum cautela omni suscepta est maxime indicata.

J. N. Rust, über die Heilkraft der methodischen Quecksilber-einreibungen in syphilitischen und nicht syphilitischen Krankheiten, (Magazin für die ges. Heilk. Bd. I, S. 354.)

J. Vering, über die Heilung der Lustseuche durch Quecksilber-einreibungen. Wien. 1821.

E. H. A. Klatte, de Louvrieri hydrargyrum adhibendi methodo. Berolin. 1821.

§. 42.

Saepius curam syphilitidis suscipimus per applicationem Internam hydrargyri, quod in forma metallica effectu desiderato destituitur, sed eum praestat ut oxydum imperfectum, ut oxydum perfectum et ut sal mercurialis.

Oxyda hydrargyri imperfecta, seu oxydula diversa commendantur, et quidem mercurius saccharatus, qui paratur trituratione hydrargyri cum saccharo, donec globuli disparuerint; eadem ratione trituratur cum pulvere liquiritiae vel extracto liquiritiae vel cum melle et dicitur mercurius mellitus, a Swedia usq; frequenter in usum vocatus; ita praeparatur hydrargyrum alcalizatum cum pulvere lapidum cancerorum mercurium tri-

turando; **hydrargyrum tartarisatum**, dum mercurii purus cum cremore tartari triturando miscetur. Haec tamen praeparata licet blandissima, ubique raro, apud nos nunquam adhibentur.

Mercurius gummatus Plenckii paratur ex una parte hydrargyri puri et tribus partibus pulveris gummi arabici in mortario tam din triturando, donec globuli disparuerint. Exhibitetur hoc praeparatum infantibus, gravidis, teneris, vel in pilulis vel in solutione a grano uno usque grana sex.

In Anglia frequenter adhibetur oxydulum hydrargyri cinereum a Black propositorum, in Italia oxydulum hydrargyri cinereum a Moscati laudatum, in Germania et apud nos oxydulum hydrargyri nigrum seu mercurius solubilis Hahnemannii, praescribunturque haec tria praeparata in morbis syphiliticis mitioribus indicata vel in pulvere, vel in pilulis pro nythemero a grano uno usque grana sex.

Oxydum hydrargyri imperfectum frequentissime adhibitum est, quod paratur ex hydrargo metallico tritando cum axungia porci et vocatur **unguentum hydrargyri cinereum**; eius usus instituitur maximus exterioris; Terras chirurgus Genevensis et Sedillot medicus Parisiensis hoc praeparatum maxime commendant contra syphilidem cum scrophulis conjunctam; etiam in schola clinica forma pilulari effectu optimo datum est, sed quia medicina ingrata, ideo non adhibetur.

Saepius indicatum est oxydulum hydrargyri imperfectum sulfure junctum, uti occurrit in aethiope minerali et in aethiope antimoniali, quae duo praeparata imprimis contra luem syphiliticam infantum cum scabie vel scrophulis complicatam exhibemus, a grano semini usque granum unum, adultis a granis duobus usque grana sex pro nythemero.

Oxydum hydrargyri perfectum est **mercurius precipitatus ruber**, quod ut causticum externe applicatur contra ulceras et condylomata, interne tantum in lue

syphilitica aliis praeparatis hydrargyri rebelli exhibetur, initio una octava, dein una sexta, una quarta pars grani, ad sumnum granum semis pro nycthemero.

Longe frequentius exhibentur interne contra luem syphiliticam sales mercuriales, aliqui eorum ut acet as hydrargyri, phosphas hydrargyri, prussias hydrargyri seu hydrargyrum zooticum, nitras hydrargyri, unde praeparatur liquor Bellottii, et sulfas hydrargyri seu turpetum minerale ratissime tantum praescribuntur, plurimi medici utuntur salibus hydrargyri muriaticis.

Marias hydrargyri mitis seu mercurius dulcis seu panacea mercurialis seu aquila alba seu calomel est praeparatum hydrargyri in universo orbe maxime celebratum, in curanda lue syphilitica experientiis plurimis probatum, quod etiam aegris debilibus, infantibus et gravidis congrue adhibitum non tantum morbum incipientem, sed etiam luem inveteratam perfecte sanat. Infantibus et teneris exhibetur una octava pars grani unius usque granum semis, adultis grantum unum usque grana sex, per diem semal, ad sumnum bis, mane et vesperi.

Non pauci auctores commendant praeparata hydrargyri hucusque nominata dosi tali exhibere, qua ptyalismus haud provocatur; quamprimum prodroma ejus observata fuerint, usum pharmaci intermittendum et dosim inminuendam esse monent. Vocatur haec methodus per extincionem, quae blanda quidem est, sed inefficax, tantum in specie morbi syphilitici mitissima exerit effectus desideratos, et tunc etiam saepe diu adhiberi debet; lues syphilitica perfecte evoluta in organismo late extensa, inveterata per talem methodum blandam nunquam sanatur, aeger miser praeter morbum in organismo semper latius extensum experitur simul noxios effectus hydrargyri, ut sic morbus complicatus reddatur, ideo quotiescumque post investigationem scrupulose institutam convicti sumus de praesentia luis syphiliticae, tales methodos fucatas, ad quas et illa a

Habemus nā laudata pertinet; haud commēdamus, sed efficaces morbum gravem tollere valentes ordinamus. Adhibetur calomela contra luem syphiliticam duplii modo:

Primo Weinhold proposuit methodum efficacem, quae absolvitur spatio viginti trium dierum, quo tempore aeger remanet semper in cubili, cuius calor est octodecim usque viginti graduum therm. Raum, diaetamque adhibet tenuissimam. Ita praeparatus primo die vesperi sumit grana decem calomelis, post horam unam iterum decem grana, desuper bibit jūsculum tenue mucilaginosum et decumbit. Sequenti die mane alvo nulla subsecata exhibetur illi purgans ex infuso foliorum sennae cum sale aliquo purgante, secus die secundo et tertio nulla exhibetur medicina; sed die quarto vesperi sumitur iterum eadem dosis calomelis, et sic duobus diebus intermissis tertio die repetitur eadem dosis, donec octo tales doses consumtae fuerint ita, ut usque vigesimam tertiam diem curae absumat aeger calomelis grana centum sexaginta. Si per dosim tam magnam calomelis emesis provocatur, tunc suadet, ut pro dosi hamaphagica praescribantur tantum calomelis grana quinque cum quantitate anatica pulveris corticis cassiae lignae vel nucis moschatae, et omni tertio die vesperi quatuor tales doses absumantur, testaturque auctor, hac methodo syphilides inveteratas a se sanatas fuisse, qui ptyalismus vel diarrhoea locum habuerint. Interim methodus haec debilibus, infantibus, gravidis facile periculosa et aliis valde molesta raro in usum vocatur.

Melior est methodus, quam Simonij u. et in primis Neumann laudant; aeger praeparatur per sex usque octo dies, adhibendo quotidie balneum tepidum, diaetam tenuem, in temperatura semper aequabili, moderate calida viginti graduum R., postea sexto vel octavo die vesperi sumit calomelis granum unum; secundo die quiescit; tertio die vesperi sumit grana duo; quarto die quiescit; quinto die vesperi sumit grana tria; et sic omni altero die vesperi augetur dosis calomelis grano uno, donec salivatio justa quantitate adfuerit. Si hoc non contingit die quadra-

gesimo, ubi dosis calomelis aucta fuit ad grana viginti, tunc cura ulterius non continuatur, signum enim est, aegram talem in ptyalismum minime dispositum esse; aegri plurimi, postquam dosis calomelis aucta fuit ad grana duodecim usque quindecim, incidunt in ptyalismum moderatum, et non raro jam tunc symptomata luis syphiliticae omnia silent, cura tamen adhuc continua debet dosi hydrargyri successive iterum immunita; simul bibat aeger quotidie decocti radicis sarsaparillae ex uncia una parati libram unam, terminataque cura balnea tepida sex usque octo adhibeantur. Diarrhoea profusa mitigatur opio.

Simon jun. über den Sublimat und die Inunctionscur, mit besonderer Beziehung auf Dzondis neue zuverlässige Heilart der Syphilis und die Louvrier-Rust'sche Inunctionscur. Hamburg. 1826.

C. G. Neumann, von den Krankheiten des Menschen. Bd. II. S. 219.

Blasius, die Behandlung der Syphilis in der chirurgischen Klinik zu Halle (Allg. Mediz. Zeitung, 1833, No 17.)

§. 43.

Occurrunt casus, in quibus calomela ad curam morbi late extensi et inveteratai perficiendam haud sufficit, tunc necessarium est praeparatum hydrargyri efficacissimum, nempe murias hydrargyri corrosivus, seu mercurius sublimatus corrosivus, cuius virtus magna in curanda lue syphilitica in primis probata fuit per Swieton, qui commendavit, mercurii sublimati corrosivi grana sex solvi in spiritus vini libra una et inde mane et vesperi uno coelestari ordinario exhiberi. Successus felix seduxit multos ad remedium minus caute adhibendum in gravidis, in teneris, ad phthisim praedispositis, atque tunc observatis squat post usum hujus remedii abortus, tusses cruentae, phthises, ideo remedium iterum neglectum fuit, donec virtutem ejus magnam observationibus plurimis comprobaverunt in Germania L. Hoffmann et Wedekind, in Gallia Cullerier. Maximam tamen famam sibi meruit me-

methodus a Dzondi proposita; praescribuntur hydrargyri sublimati corrosivi grana duodecim; solvuntur in aquae destillatae sufficienti quantitate, adduntur micae panis albi, sacchari albi ana quantum satis, ut efformentur pilulae grani unius numero ducentae quadraginta, conspergantur pulvero lycopodii vel cinnamomi. Aeger sumit pilulas alternis diebus semel per diem et quidem statim post prandium ita, ut primo die sumat pilulas quatuor, secundo die nullas; tertio die sumit pilulas sex, quarto die nullas; quinto die sumit octo, et sic successive omni altero die augetur dosis duabus pilulis, usquedum numerus pertingit ad triginta seu granum unum et semis muriatis hydrargyri corrosivi, quae dosis in plurimis aegris sufficit ad morbi symptomata omnia delenda, raro tantum auctor ascendit ad grana duo usque grana duo et semis. Hac methodo organismus successive assuetis dosi hydrargyri etiam majori preferendae, et in plurimis aegris nec ptyalismus nec diarrhoea comparet; si tamen ob dispositionem aegri peculiarem ptyalismus locum habet, tunc usus pharmaci intermitti debet, et cessante salivatione iterum continua; diarrhoea forte se insinuans tinturae opii simplicis guttis sex usque septem sopitur. Durante cura refrigerium sollicite vitandam est; quantitas cibi restringenda ad medietatem dosis consuetae; cibi pingues, duri haud conce-dendi; in primis dissundet auctor suillam, carnem anserum et anatum, caseum et acida; vinum et cerevisia dosi parva assuetis concedi possunt; adjuvat virtutem remedii decoctum sarsaparillae. Methodus haec in multis casibus summae efficaciae, per observationes etiam hic factas probata est, dummodo cautela omnis necessaria adhibetur; tem-pore brevissimo, spatio quatuor septimanarum, cum in-commodis paucissimis morbum gravem tollit, nec tamen et haec methodus infallibilis est; observationes Viennae, Berolini et etiam apud nos factae docent, syphilidem non-nunquam huic methodo restitisse.

K. H. Dzondi, neue zuverlässige Heilart der Lutseuche in allen ihren Formen. Halle. 1826. 1832.

§. 44.

Ex his patet, hydrargyrum esse quidem remedium efficacissimum contra Iuem syphiliticam, sed nullum esse praeparatum, nullum methodum, quae in omni casu morbi syphilitici votis medentis respondeat; ideo in singulo casu individuali ingenium medici debet desinire et praeparatum et methodum maxime indicatam, quem in finem attentionem nostram dirigimus ad constitutionem individualem aegri, ad morbi durationem, intensitatem et complicationem. Contra morbum recentem et mitioribus symptomatibus stipatum adhibemus praeparata blandiora, ut mercurium gummosum Plenckii, aethiopem antimonialem, vel aethiopem mineralem; in morbo magis provento commendamus mercurium solubilem Hahnemann, in plurimis casibus calomelam, et quidem frequentissime solam, non raro tamen combinatam sic, dum syphilis serophulis juncta est, calomeli jungimus sulfur auratum antimonii, vocatur pulvis Plummeri; dum aeger diarrhoea laborat, addimus calomeli opium et raro tantum in morbo mitiori sequimur methodum ad extinctionem; in genere praescribimus calomelam dosi successive aucta, donec ptyalismus sequatur methodo per Neumann laudata; contra luem inveteratam, late extensam mercurium sublimatum corrosivum scligimus, et dosi successive aucta secundum methodum a Dzondi propositam adhibemus. Dum morbus pertinacior est, inunctionem hydrargyri secundum methodum Louvrieri-Rustianam instituimus. Nunquam tamen methodos has coece imitamus, sed secundum statum individualem aegri modifcamus.

Ita modifcamus curam relate ad sexum; in genere sexus muliebris est tenerior et irritabilior, ideo dosis hydrargyri tam interna quam externa minor esse debet quam in viris. Adhuc magis modifcanda est cura relate ad aetatem et quidem attentionem peculiarem requirunt infantes

Iue syphilitica affecti. Subinde jam in utero matris iue insiciuntur foetus, saepius dum sub partu per vaginam morbo syphilitico scatentem excluduntur; non pauci sani natum tempore lactationis morbum contrahunt; manifestat se morbus apud infantes variis symptomatibus; dum syphilis congenita est, exhibent infantes habitum pallidum, macilentum, cutim flaccidam, in rugas contractam, faciem senilem, post pauca dies vel paucas septimanas post nativitatem conspicuntur maculae syphiliticae coloris fusti, brevi squamis obtectae et mox exulceratae; observantur pustulas syphiliticae, condylomata, excrescentiae, inprimis circa genitalia et circa anum; simul efformantur ulcera in cavu oris, quae extenduntur in eavum narium, quod continuo obstructum est; sic evadunt suctio et deglutitio difficilis, vox redditur semper magis rauca, miseri ejulant donec vocem non amittant, exhausti morbo succumbunt, nisi therapia rationalis eis obveniat.

Dum iues syphilitica tempore graviditatis evolvitur, usus hydrargyri a nonnullis dissuadebatur ad abortum evitandum, et defendebatur exspectandum esse donec partus locum habuisse, quod consilium nunquam sequimur; morbus enim sibi reliotus semper increscit, foetus efformatur miser, etiamsi maturus, pro vita tamen ulteriori extra uterum minus capax; ideo salus matris et foetus exigit, ut therapia rationalis sub ipsa graviditate adhibeatur; ut Cullerier commendat, gravidis etiam mercurius sublinatus corrosivus exhiberi potest, et methodus a Dzondi laudata non raro proficua fuit, in pluribus tamen casibus securior est methodus a Neumann proposita; cura autem magna in gravidis nunquam est suscipienda.

Dum partu peracto in puerpera vel in nutrice observantur symptomata morbi syphilitici, tunc hydrargyri usus necessarius est, docuitque observatio, non raro tunc morbum etiam in infante disparere; Iac nutricis a hydrargyro ingesto virtutem anti-syphiliticam acquirit; ideo commendarunt aliqui, ut etiam nutrici sanae infantem syphiliticum lactanti exhibeatur hydrargyrum, quod tamen inhumanum

foret; nutrix sana per hydrargyrum in morbum gravem
conjici potest, quin sanitas infantis revertatur. Magis ra-
tionale est hydrargyrum ipsi infanti exhibere, et quidem
aethiopem antimoniale vel mineralem, vel calomelam
solam, vel cum sulfure aurato antimonii nexam; in in-
fante jam adultiore, morbo late extenso, praeparato mi-
tiori haud sufficiente recurrimus ad mercurium sublimatum
corrosivum, cuius granum semis cum sacchari albi scrupu-
lis quatuor exactissime miscemus, in sedecim partes ae-
quales dividimus, inde initio unum, dein duos, tandem
quatuor pulvisculos porriginus, simul balneis tepidis mun-
ditiem cutis conservamus, diaetam ac temperaturam con-
gruam suademus.

P. A. O. Mahon, recherches importantes sur l' existence , la
nature et la communication des maladies syphilitiques dans
les femmes enceintes , les enfans nouveau-nés et dans les nour-
rices. Paris. 1802.

§. 45.

Dum hydrargyrum sive externe , sive interne dosi tanta
applicamus organismo vivo, ut processus syphiliticus per
contagium provocatus destruatur, semper subsequitur ptya-
lismus, exceptis paucis aegris dispositione in hoc proflu-
vium haud instructis. Salivatio moderata efficaciam phar-
maci indicans minime turbanda est, sed periculosa evadit,
dum aut excessiva est, aut dum supprimitur; ideo sub
omni cura mercuriali attenti esse debemus in ptyalismum,
qui incipiens se annunciat alteratione febrili moderata,
cuti sicea, excretionibus alvi urinaque imminutis, calore
aucto , cui mox accedit sensus aliquis doloris in gingivis ,
in lingua, quae parumper intumescent, magis rubent; ae-
ger persentit saporem metallicum et dentium prolongatio-
nem, dein inchoat sputatio frequentior, quam excipit sa-
livae profluvium largius ; dum in homine adulto per nyct-
hemerum effluit saliva ad libram unam usque tres, tunc
salivatio est moderata, sed si effluit ad libras quatuor us-
que decem, tunc facile noxios effectus producit; praeter

quantitatem excessivam etiam qualitas salivae est mutata, est acris, propterea partes cavo oris contentae inflamman-
tur, exulcerantur, lingua et labia oris monstrose intu-
mescunt, dentes vacillant, excidunt, et sub continuato usu
hydrargyri excitatur morbus mercurialis universalis, hy-
drargyrosis, quem indicant tremores extremitatum,
habitus cachecticus, maculae cuprei coloris, obsitae ves-
culis minimis, quae ruptae exsiccantur in squamas vel
crustas, vocatur eczema vel erythema mercuriale; sub
continuato usu hydrargyri enascuntur in cuti ul-
cera, ossa emolliuntur, doloribus divexantur, et sanguis
qualitatem scorbuticam adipiscitur.

Ad evitandum ptyalismum excessivum in primis neces-
se est, ut aeger sub tota cura mercuriali in temperatura
majori, octodecim usque viginti graduum versetur, refri-
gerium omno scrupulose vitet, non secus occasionem om-
neni saburrae generandae faventem; ideo necessaria est
diaeta tenuis et blanda, evitatis pinguibus, acribus et aci-
dis. Quamprimum ptyalismum ob servamus esse excessivum,
hydrargyrum omne seponimus, dum externe applicatum
fuit, balneo cutim depuramus, reliquam curam secundum
statum individualem aegri modificamus. Subinde ob consti-
tutionem aegri individualem, ob influxum aliarum poten-
tiarum nocentium ptyalismus habet characterem inflamma-
torium, quem indicat febris validior et inflammatio mani-
festa glandularum salivalium, tunc methodus anti-phlogisti-
ca, subinde venae sectio, saepius hirudinum applicatio in-
dicata est. Saepe gradus inflammationis tantum mitior tol-
litur, applicando externe collo cataplasma vel unguentum
emolliens, os saepe fovendo et eluendo decocto tepido fur-
furum vel foliorum malvae, vel lacte solo; pro medicina
exhibemus decoctum hordei cum oxymelle simplici. Metho-
do hac blandiore haud sufficiente, alvo simul obstipa exis-
tente utilissima sunt purgantia anti-phlogistica, ut clysmata,
sales purgantes in decocto emolliente, excepta calome-
a. Dam alvi evacuatio sufficiens adest, ad irritationem
organorum sialagogorum imminuendam proficia sunt dia-

phoretica blandiora, ut infusum florum tiliae et balneum tepidum. Non raro per ptyalismum profusum diutius continuatum inducitur in organismo debilitas cum irritabilitate majori organorum salivalium, quo in casu indicatio curae duplex est: prima ut irritabilitas morbose exaltata, secretionem abnormalem sustentans tollatur, altera ut debilitati occurritur. Relate ad primam indicationem, cum irritabilitas morbosa per causam specificam inducta sit, etiam remedia specifica commendata sunt, et quidem per Hahnemann sulfuretum lixivae, quod in solutione exhibitum multis ingratum facilius sumitur in pilulis cum melle vel extracto liquoritiae, et licet non semper votis respondet, tamen efficaciam suam saepius comprobavit. Similiter virtutem exercit sulfur, ideo hoc pharmaco ut diaphoretico et blande eceoprotico frequenter utimur in pulvere vel pilulis, omni trihorio granum unum usque quatuor exhibemus. Subinde in aegris hystericiis et hypochondriacis, scopo irritabilitatem imminuendi, plus praestant infusum florum camomillae vulgaris, radicis valerianae sylvestris, camphora dosi parva, castoreum, opium cum ipecacuanha, secundum observationes recentiores jodina. Simul adhibemus colutoria oris leniter adstringentia, ut decoctum foliorum salviae, addito melle rosarum vel roob mororum, decoctum corticum quercus, salicis, hippocastani, vel radicis tormentillae, vel commendamus solutionem aluminis crudi, vitrioli zinci, virtutemque eorum exaltamus addito vino vel spiritu vini. Dum sub usu horum remedium continuato ptyalismus ob debilitatem majorem in organismo perdurat, tunc remedia tonica roborantia, ut amara stomachica, martialia, cortex cinchonae, cassiae ligneae, subinde etiam antagonistica cuti applicata sunt necessaria.

Bestätigte Wirkung der Jodine gegen Mercurial-Speichelfluss von Kluge (Medizinische Zeitung von dem Verein für Heilk. in Preussen. 1833, 5.)

§. 46.

Quia ptyalismus per curam mercuriale provocatus saepe diu durat, aegrum enervat, et subinde cura congrua

neglecta aegrum etiam enecat, ideo conabantur medici omni tempore alia remedia invenire, quibus cura morbi syphilitici persici posset. Commendata hoc scopo sunt acidum muraticum a Zeller, acidum nitricum a Scott, quae pharmaca contra morbum syphiliticum topicum quandoque proficia luem syphiliticam evolutam sanare non valent, utilia tamen sunt, dum forte syphilis complicata est cum scorbuto, vel dum sub usu hydrargyri excessivo scorbuti phaenomena comparent, exhibemusque ea in decocti hordei vel malthi libra una, ad guttas quadraginta, quae dosis successive augetur usque ad guttas centum quadraginta, attendendo ad effectum, ne forte gastro-enteralgia vel gastro-enteritis provocetur. Peyrilhe maxime commendavit ammoniam, Bosnard salem tartari cum tinctura opii, quae pharmaca contra symptomata quaedam syphilidis effectu haud destituuntur, luem tamen ipsam haud sanant, nisi imaginariam, qualis in hypochondriacis subinde observatur.

Laudabantur contra syphilidem in vicem hydrargyri alia metalla, ut ferrum, antimonium, cuprum, aurum et arsenicum; tria priora in casibus individualibus contra profluvia, efflorescentias cutis, et debilitatem organorum digestionis et chylificationis saepe utilia sunt, luem tamen syphiliticam non sanant; virtutem hanc observatores nonnulli tribuunt muriati auri cum soda; adhibetur initio tantum externe, quotidie bis, ter, quater-ve inungitur linguae et internas superficie labiorum oris grani unius una duodecima, dein una decima, dein una octava, dein una quarta pars, effectuque salutari haud observato exhibetur dein interne, optime in pilulis cum opio, vel ciente; virtus tamen remedii per observatores plures comprobata non est; ex aegris tredecim, quibus Cullerier praeparatum hoc auri exhibuit tantum unicus sanatus est. Efficaciam longe majorem habet arsenicum, cuius ope lues late extensa hydrargyro resistens sanata fuit; sed meminisse semper oportet, hoc remedium esse venenum atrocissimum, ideo nunquam exhibendum, nisi morbus hydrargyro sub

diversis methodis exhibito cum omni cautela ita resistere, ut destructio organismi per morbum maxime metuenda esset; tunc tintura Fowleri sub inspectione continua medici indicata foret.

Longe plurima surrogata hydrargyri commendata sunt e regno vegetabili, ut herba artemisiae, absynthii, cha-maedrios, spicae nostrae, ajugae, pulegii, thymi serpilli, calaminthae, nepetae, hyperici, hyssopi, cardui benedicti, caryophillatae, achilleae millefolii, aconitum, agave americana, agrimonia eupatorium, aloë, anemone pratensis et hepatica, apium petroselinum, antirrhinum linaria, arundo phragmites, asclepias gigantea, aralea spinosa, arnica montana, asparagus falcatus, astragalus exscapus, aster latifolius et angustifolius, arctium lappa seu bardana, atropa belladonna, atropa mandragora, begonia balsamiana, bignonia antisyphilitica, buxus sempervivus, calamus aromaticus, carex arenaria, ceanothus americanus, centaurea benedicta, chaerophyllum sylvestre, chelidonium majus, chelidonium glaucum, calendula officinalis, chenopodium ambrosioides, china nodosa, chloranthus spicatus, cichorium intybus, chiococca racemosa, cicuta, cinchona, clematis erecta et vitalba, colehicum autumnale, croton anti-syphiliticum et fulvum, eucamis colocynthis, cydonia, daphne mezereum, datura stramonium, euphorbia gentiana, gratiola officinalis, guajacum, helleborus, humulus lupulus, hyoscyamus, jodina, juglans regia, juniperus, ledum palustre, lapathum acutum, leontodon taraxacum, linum usitatissimum, lobelia syphilitica, marrubium vulgare, momordica elaterium, myrrha, nicotiana tabacum, nux vomica, ononis spinosa, opium, pinus sylvestris, abies, larix, pix liquida, phytolacca decoandra, pimpinella saxifraga, piper methysticum, plantago major, polygonum amphibium et persicaria, prunus padus et laurocerasus, rhododendron chrysanthum, rhus radicans, santalum album et rebrum, saponaria, senna smilax aspera, smilax china, glauca, sarsaparilla, sassafras, solanum dulcamara, tanax gallica, taxus baccata, teucrium scordium, torment-

tilla erecta, triticum repens, ulmus campestris, urtica urens, viola tricolor, xanthoxylum fraxineum, ziziphus trinervium, zigophillum fabago: e quibus praecepsam sibi laudem meruerunt narcotica, ut hyoscyamus, aconitum, cicutia, belladonna, pulsatilla nigricans, in primis opium, quae in morbis syphiliticis topicis cum doloribus nexione per methodum anti-phlogisticam hand tollendis per solam sensibilitatem morbose exaltatam sustentatis utilia sunt; ita etiam in iure syphilitica sub usu hydrargyri eura jam absoluta remanent non raro dolores per narcotica fugandi, e quibus pro singulo casu individuali maxime congruum nonnisi ex observatione in effectus eorumdem adhibita definiere valemus.

Majorem adhuc laudem sibi meruere decocta e varii vegetabilibus parata, quorum ope in regionibus calidis, in partibus etiam meridionalibus Europae; referentibus observatoribus, morbus syphiliticus sanatur sine hydrargo; apud nos quidem sub zona temperata hanc virtutem de praedicare hand valemus; ad iuueniendam syphiliticam perfecte evolutam curandam usus hydrargyri apud nos necessarius est; ejus tamen virtus exaltatur per usum congruum decoctorum; imo postquam aeger hydrargyrum adhibuisset, quin symptomata morbi omnia deleta essent, remanentibus partim doloribus osteocopis, partim efflorescentiis cutis diversis, quae sub usu continuato hydrargyri incrementa nova capiunt, status hi morbos tolluntur per decocta e diversis vegetabilibus parata; e domesticis frequentissime adhibemus radicem bardanae, carecis arenariae, astragali exscapi, caules dulcamarae, lignum juniperi, putamina nucum viridia exsiccata et corticem nucum, subinde corticem mezerei. Longe magis commendantur plantae americanae, ut lignum guajacum seu sanctum, radix sarsaparillae, chinæ nodosæ, et lignum sassafras. Secundum observationes recentiores institutas minimam efficaciam habet china nodosa, ideo non amplius in usum vocatur; lignum sassafras aroma gratum tenet, et hujus tantum gratia praescribitur; frequentissime adhibentur radix sarsa-

parillae et lignum guajacum, in decocto jam magis jam minus saturato; uncia una usque duae macerantur in aquae libris duabus per viginti quatuor horas, dein coquitur vase clauso usque ad medietatem, colatura absuntur spatio nocthemeri. E decoctis diversis compositis frequentissime in usum vocantur *decoctum Pollini*, quod paratur ex radicibus sarsaparillae, chinæ nodosæ, lapidis pumicis et antimonii crudis in petia ligatorum ana uncia semis, corticum mucum juglandum unciis decem, concisa coquuntur vase clauso in aquæ fontanæ mensuris duabus ad dimidiam consumptionem. Recentiores medici adhibent hoc decoctum secundum formulam a Swedianer laudatam: corticum viridium nucum juglandis regiae siccatarum et contusarum libram unam, radicibus sarsaparillæ, radicibus chinæ nodosæ ana uncias duas, sulfureti stibii nigri pulverisati in nodulum ligati uncias quatuor, lapidis pumicis pulverisati in sacculum inclusi uncias duas, concissa et mixta coque in aquæ libris viginti, ad colaturam librarum decem. Testantibus observatoribus usitî decocti hujus perficitur cura morbi in regionibus calidis intra viginti quinque usque triginta sex dies, in regionibus frigidis intra quadraginta octo usque sexaginta dies. Decoctam harritur frigide, sed desuper bibitur statim infusum calidum florum chamomillæ vulgaris vel tiliae; quotidie consumuntur duae librae decocti, distribuendo in quatuor doses; prima dosis sumitur mane, hora sexta vel septima, desuper statim infusum calidum; post medium vel unam horam sumitur dosis secunda et statim superbibitur infusum calidum; aeger remaneat adhuc pacate per tres horas in lecto, dein surgat et infusum coffeæ cum lacte bibat. Post meridiem quinque horis a prandio sumiat dosim tertiam; post medium vel unam horam dosim quartam, et semper superbibat infusum calidum. Ulcera forte praesentia deligantur eodem decocto, et omni altero die adhibetur balneum tepidum; tempore fluxus catamenialis usus remedii intermititur. Si post curam tribus septimanis continua-

tam nullum levamen observatum fuerit, tunc signum est, hanc curam pro casu individuali haud idoneam esse.

Majorem efficaciam exerit decoctum Zittmanni, quo solo et lues syphilitica perfecte evoluta, et neglecta, et hydrargyro minus congrue tractata saepe felicissime et brevissimo tempore sanatur, quod recentissime post Chelius observationes felices multae probavere. Cura absolvitur intra duodecim dies, sub qua tota aeger debet temperaturam moderate calidam et aequabilem observare, refrigerium scrupulose evitare, ideo in lecto manere, vietn tenuissimo uti, nempe praeter jusculum gelatinosum conceduntur duae unciae panis albi et duae unciae carnis agninae vel vitulinae assatae. Primo die curae exhibentur pilulae purgantes: calomelis, resinae jalappae ana grana decem, formentur decem pilulae, mane absumenda; atque die illo pro cibo sumit tantum juseulum tenue ter; sequentibus diebus utitur decocto duplici, fortius paratur ex radicis sarsaparillae concisae unciiis duodecim, infunde aquae communis libras quadraginta octo, et digere per horas viinti quatuor, dein adde sacculo linteo inclusa sacchari albi, aluminis crudi ana drachmas sex, calomelis unciam dimidiam, ciunabaris artificialis drachmam unam, coque ad remanentiam librarum sedecim, sub fine coctionis adde seminiis anisi, foeniculi ana unciam dimidiam, foliorum sennae uncias tres, radicis liquoritiae unciam unam et dimidiam, cola et exprime, liquor decantatus detur ad octo lagenas, signetur decoctum Zittmanni fortius.

Decoctum Zittmanni mitius paratur e residuo a decocto fortiori, quod cum radicis sarsaparillae concisae uncia sex coquitur, cum aquae communis libris quadraginta octo ad remanentiam librarum sedecim, sub fine coctionis additur corticis citri, corticis cinnamomi, cardamomi minoris, radicis liquoritiae contusorum ana drachmae tres, cola et exprime, liquor decantatus detur ad lagenas octo, signetur decoctum Zittmanni mitius.

Postquam aeger primo die pilulas purgantes sumsit, sequentibus quatuor diebus mane jejuno stomacho bibt

decoctum fortius calidum per horas ita distributum, ut lagenam unam ante meridiem evacuet, post meridiem bibit decoctum mitius temperaturae ordinariae. Sexto die curae sumuntur decem pilulae purgantes; sequentibus quantior diebus continuatur usus decocti, ante meridiem fortioris et calidi, post meridiem mitioris; undecimo die cum decem pilulis purgantibus terminatur cura; remanet tamen aeger adhuc per aliquot dies in cubili, et tantum successive revertitur ad vitae regimini consuetum. Licet decocti hujus efficacia magna probata sit, tamen non sufficit semper morbo vincendo; subinde oportet ob symptomata morbi molesta perdurantia post moram aliquam eandem curam repetere. Subinde nec repetitum decoctum votis respondet, per aliam methodum morbus feliciter tollitur.

E radice sarsaparillae paratur etiam extractum concentratum, quod nomine essentiae sarsaparillae adhibetur ad drachmam unam usque duas pro nycthemero, paratur etiam syrupus, estque maxime celebratus syrupus Cuisinieri.

Peyrilhe, remède nouveau contre les maladies vénériennes, tiré du règne animal, ou essai sur la vertu antivénérienne des alcalis volatils. Paris. 1774. Montpellier. 1780.

Besnard, Krauthafte auf Erfahrungen gegründete Warnungen an die Freunde der Menschheit gegen den Gebrauch des Quecksilbers in venerischen Krankheiten. München. 1811.

— Analytische Erklärung über Entstehung, Natur und Wirkung des venerischen Giftes, nebsteiner eigenen Heilart, die Quelle der Lustseuche auf eine sichere, bequeme und wohlfeile Art ohne Quecksilber zu vertilgen. München. 1811.

Bongard, Wiederlegung der neuesten von H. v. Besnard aufgestellten Theorie und Heilart der Lustseuche. Wien. 1812.

Scott, on the internal and external use of the nitro-mittriatic acid in the cure of diseases. (Duncan's Annals of medicine for 1796, vol I. p. 375.)

S. Zeller, praktische Bemerkungen über den vorzüglichen Nutzen des allgemein bekannten Baadeschwamms u. s. w. nebst einem Anhange von der Salpetersäure in Bezug auf die Lustseuche. Wien. 1787.

Allyon, essai sur les propriétés médicinales de l' oxygène et sur l' application de ces principes dans les maladies vénériennes psoriques et d'artreuses. Paris. 1798.

Pearson, Observations on the effects of various articles in the cure of lues venerea. London. 1807.

A. Schmidt, Beiträge zu den Resultaten der Versuche mit der Salpetersäure bei primitiven und secundären syphilitischen Krankheitsformen, (Beobachtungen der k. k. medizinisch-chirurgischen Joseps-Academie zu Wien, Bd. I. 1801).

F. Holst, Commentatio de acidi nitrici usu medico. Christiania. 1816.

Bernhard, de utilitate acidi nitrici et muriatici inter se mixtorum, nonnullis in morbis eximia. Lipsiae. 1825.

Niel, recherches et observations sur les effets des préparations d'or du Dr. Chrétien, dans le traitement de plusieurs maladies syphilitiques, publié par Chrétien. Paris. 1822.

U. Hütten, de guajaci medicina, et morbo gallico. Moguntia. 1519.

Friederich, das Pollinische Decoet und die reinigenden Wirkungen der wälschen Nusschalen wieder die Lustseuche, Wien. 1794.

Jassoy, über das Pollinische Decoet (Rusts Magazin Bd. XI. S. 125.)

Chelius, über die Anwendung des Decocti Zittmanni (Heidelberg klinische Annalen Bd. I. H. 1; S. 143.)

F. W. Oppenheim, die Behandlung der Lustseuche ohne Quecksilber. Hamburg. 1827.

S C R O F U L A E.

§. 47.

Nomine serofularum intelligimus illum morbum chronicum, aetatem in primis teneram infestantem, in quo ob statum abnormem organorum digestionis, chylificationis, assimilationis et reproductionis, in gradu majori affectum est sistema vasorum lymphaticorum, et ideo in morbo evoluto inter symptomata varia statum abnormem organorum digestionis et assimilationis indicantia, adsunt etiam

tumores chronicus glandularum lymphaticarum; in primis cervicalium, longo tempore indolentes, tardius transcurrentes in chronicam inflammationem et foedam exulcerationem. Morbus hic jam antiquissimis medicis notus erat, ab Hippocrate vocatur *chorides*, a *choiros* porcus, cuius ventula vocatur latinis *scrofa*, quia in porcis subinde deguntur tumores parvi, duri; similes tumoribus cervicalibus in hoc morbo enatis, ideo appellatur morbus *chorosis*, Latinis *scrofula*. Celsus quidem morbum hunc nominavit *strumam*, quam denominationem cum pluribus scriptoribus Anglis retinet etiam J. P. Frank; longe tamen plures auctores nomen *struma* tumori chronico glandulae thyreoideae tribuunt, et tumores glandularum lymphaticarum appellant *scrofulas*.

- J. B. Charmetton, essai théorique et pratique sur les écruckles. Avignon. 1752. Lyon. 1755.
- J. Morley, an essay on the nature and cure of scrofulous disorders. London. 1771.
- P. Lalouette, Traité des scrofules, vulgairement appelées écruckles. Paris. 1780, 1782.
- C. White, a treatise on struma or scrofula. London. 1784. 1794.
- Ackermann, de scrofularum natura. Lipsiae. 1787.
- K. G. T. Cortum, Commentatio de vitio scrofuloso, quique inde pendent morbis secundariis. Leipzig. 1789, 90.
- R. Hamilton, Observations on scrofulous affections. London. 1791.
- Beobachtungen über die Scroful-Krankheit. Leipzig. 1793.
- F. A. Weber, von den Scrofeln, einer epidemischen Krankheit vieler Provinzen Europens. Salzburg. 1793.
- W. Nisbet, an enquiry into the history, nature, causes and different modes of treatment hitherto pursued in the cure of scrofula and cancer. London. 1795.
- G. Moesmann, essay to elucidate the nature, origin and connection of scrofula and glandular consumption. London. 1795.
- C. W. Hufeland, über die Natur, Erkenntniss und Heilung der Scrofulkrankheit. Jena. 1795. Berlin. 1819.

- C. Brown, treatise on scrofulous diseases, showing the good effects of factitious airs. London. 1796.
- J. R. T. Baumes, traité sur les vices scrofuleux. Paris. 1805
- J. Russel, treatise on scrofula. Edinburgh. 1808.
- B. Carmichael, an essay on the nature of scrofula. London. 1810.
- J. Armstrong, an essay on scrofula. London. 1812.
- W. Goodlad, a practical essay on the diseases of the vessels and glands of the absorbent system. London. 1814.
- G. Henning, a critical enquiry into the pathology of scrofula. London. 1816.
- Carmichael, Henning und Goodlad, über die Scrofekrankheit, nach d. engl. frey bearbeitet von Choulant. Leipzig. 1818.
- W. Fare, a treatise on the nature of scrofula. London. 1818; — über die Scrofekrankheit. Leipzig. 1820.
- A. Lepelletier, traité complet sur la maladie scrofulense, et les différentes manières, qu'elle peut offrir. Paris. 1818.
- C. Steyer, Diss. de morbo scrofuloso adulorum. Lipsiae. 1821.
- J. Vering, Heilart der Scrofekrankheit. Wien. 1820.
- J. G. A. Lugol, mémoire sur l' emploi de l' iode dans les maladies scrofuleuses. Paris. 1829—31.

§. 48.

Non omnis tumor in glandulis lymphaticis evolutus constituit symptoma morbi serofulosi; nam tumores tales excitantur per diversas causas, per refrigerium, per compressionem, per irritationem consensualem, ita post luxationem, fracturam, per inflammationem partis vicinae in panaritio, in variolis vel vaccine brachio inoculatis, intumescunt glandulae subaxillares; in ulcere vel cysipelate crurum intumescunt glandulae inguinales; in porragine et dentitione difficili intumescunt glandulae cervicales; subinde post suppressionem haemorrhagiarum habitualium, in primis catameniorum, subinde in typho contagioso Euro-
paeo, in pesti orientali comparent tumores glandularum

jam cervicalium, jam axillarium, jam inguinalium; frequenter tales provocantur per syphilidem, qui tumores omnes a scrofulis genuinis per observatorem attentum semper distingui possunt, dummodo attentio dirigitur debita in evolutionem successivam symptomatum omnium. Tunc enim distingui possunt stadia morbi duo:

Stadium primum constituit dispositionem, diathesim seu habitum scrofulosum, vocatur a Hufeland morbus scrofulosus latens, occultus. Manifestat se aetate teneriori, in primis sub dentitione incipiente, non raro tardius aetate puerili, imo subinde aetate adolescentiae tempore pubertatis incipientis; quod dependet partim ab intensitate dispositionis congenitae, partim ab influxu potentiarum nocentium, quibus infans vel puer expositus est. Infantes tales habent ut plurimum habitum externum amoenum, fabricam corporis teneram, gracilem. cutim mollem, albam, genas colore rubicundo roseo circumscripto notatas, capillos albidos vel fulvos, oculos prominentes, magnos, iridem colore coeruleo tinctam, caput relative majus, collum parvum et crassum, membra torosa, sed sub contactu caro omnis est valde molllis et flaccida. Cum tali habitu evolvuntur diversa incommoda, saepe dum lac avidissime sugunt illud cito coagulatum vomitu rejicitur, acidum odorem spargens; saepe torminibus vexantur, ideo inquieti frequenter ejulant; alvus est inordinata, jam obstipa jam diarrhoica, in excrementis conspicitur lac copiosum coagulatum, caseosum, saepe virescens et acidum spirans; saepe abdomen intumescit, tensum et durum redditur; labium superius, latus nasi unum, saepe utrumque tumet; in cuti comparent efflorescentiae, frequentissime porrigo seu tinea in facie et capite, diu durans, pruritum molestum excitans, et non raro per cutis partem majorem extensa. Saepe facile exoriuntur inflammations glandularum Meibomianarum in marginibus palpebrarum, vel etiam inflammations membranae mucosae, jam narum, jam tracheac et bronchiorum, jam meatus auditorii externi, jam tubi alimentaris, jam genitalium,

atque sic comparent blepharophthalmiae, aphthae, catarri tracheales, bronchiales, otorrhoea, diarrhoea, blenorhoea, scrofulosae. In talibus subjectis ossificatio est tardior, ideo fontanellae manent diu apertae, dentium eruptio contingit post nonum mensem; subinde post primum annum nativitatis; etiam ossa trunci et extremitatum tardius adipiscuntur firmitatem suam, ideo tales infantes tardius insistunt pedibus, et tardius ambulant. Nec tamen partes omnes organismi ita impeditae sunt in sua evolutione, in nonnullis scrofulariosis post morbum etiam perfecte evolutum observatur systematis nervosi, in primis encephali vita alacrior, ita ut facultates intellectuales citius se manifestent, ideo citius loquantur; non raro etiam evolutione genitalium celerior est, stimulus Veneris citius evigilat, propterea scrofulosi proniores sunt ad onanism. Dantur tamen scrofulae et sporadicae et in primis endemicae multae, in quibus evolutio systematis nervosi praecipue encephali, ita imperfecta manet, ut miseri tales aegri tota sua vita fatui evadant.

§. 49.

E symptomatibus enumeratis concludimus ad diathesim scrofulosam praesentem, neque tamen eam excipit semper evolutio plena morbi scrofulosi, non raro infante in circumstantias faventes posito therapia rationali adhibita, diathesis illa deletur; quod si fiat, sequitur stadium secundum morbi perfecte evoluti, quod nunquam observatur statim primis mensibus graviditatis, sed tempore dentitionis, vel tardius aetate puerili, vel tempore pubertatis, in nonnullis tantum aetate virili; atque sub hoc stadio comparent tumores glandularum lymphaticarum chronicci in uno, vel utroque latere colli, initio parvi adipisci magnitudinem, successive increseunt ad magnitudinem nucis avellanae, juglandis, raro majorem, suntque molles, mobiles, cuti concolores, indolentes, separati ab invicem, et talem indolem refinent diu per menses, annos; non raro sub circumstantiis faventibus una cum diathesi scrofulosa

disparent; sub circumstantiis minus faventibus tumores perennant, increscent, incipiunt dolere, cellulosa tumorem cingens inflammatur; sic contingit secretio morbosa fibrinæ, et tunc tumores scrofulosi cum cuti et partibus viciniis firmiter cohaerent, redduntur immobiles, saepe plures in unum tumorem majorem racemosum coalescant. Longo tempore tales tumores tantum formam externam colli laedunt, subinde tamen maiores mechanicæ comprimento vasæ circulationem et motum muscularum impediunt, ita subinde collum obstipum inducunt; subinde profundius sitæ respirationem et deglutitionem difficiliorem reddunt; maiores adhuc exoriuntur molestiae, dum tumores hi inflammantur, nam inflammatio est chronica, dolor quidem haud intensus, sed nisi resolutio obtineatur sequitur suppuratio lenta, abscessus apertus fundit liquidum purulentum albo-flavescens, jam spissum jam tenue, saepe sanguine mixtum, quod facile ichorosum evadit, et dum cicatrizatione subsequitur, ea foeda tota vita remanet. Tumores hi scrofulosi minime restricti sunt ad collum tantum, comparent in regionibus subaxillaribus, inguinalibus, imo in diversis externis partibus corporis; in casibus rarioribus observata est morbus scrofulosus universalis ita, ut in tota superficie extera corporis tumores copiosi scrofulosi conspicerentur, vasis ipsis lymphaticis tumidioribus existentibus ita, ut decursus eorum et connexio cum glandulis optimè cognosci potuerit. Vocantur hæ scrofulæ externe, ut distinguantur ab internis, quae frequentissime observantur in cavo abdominis et quidem in mesenterio, cujus glandulae in statu sano vix perceptibles, in morbo scrofuloso ita increscent, ut tactu etiam facile cognoscantur; atque per tales scrofulas perturbantur functiones viscerum cavi abdominis vario modo, subinde appetitus cibi est immunatus, saepe major, sed digestio et chylificatio semper impeditæ; enteralgia, alvus obstipa, subinde diarrhoeica, urina turbida quasi lactea, ob irritationem hepatis et pancreatis et largiorem secretionem bilis ac succi pancreatici, jam vomitus, jam diarrhoea; non raro

reperiuntur in cadaveribus tumores scrofulosi in cavo pe-
ctoris, in mediastino jam anteriori jam posteriori, non
raro in ipsis pulmonibus, et inde tusses, dyspnoea, asth-
ma, metus suffocationis, respiratio strepitosa, secretio
largior muci, dispositio ad peripneumonias, non raro phthis-
sis scrofulosa. Subinde evolvuntur scrofulae etiam in cavo
cranii, unde producuntur cephalaeae, paralyses, spasmi,
diathesis inflammatoria, arachnoideae facile transiens in
hydrocephalum.

§. 50.

Ut naturam individualem scrofularum definire valea-
mus, momenta earumdem pathogenetica exquirere debemus.
Non raro dispositio in morbum est congenita et tunc ae-
tate jam tenera infantili celeri passu morbus evolvitur,
dum nempe parens alteruter vel uterque morbo scrofuloso
evoluto laboravit; vel si parentes non scrofulosi sed debi-
les fuerint, senes, viribus fracti, vel praemature enerva-
ti per excessus juventutis, per morbos varios, in primis
syphilidem, et per curas mercuriales, quae causa morbum
scrofulosum frequentiorem reddit in urbibus magnis luxu
enervatis. Defendebantque auctores nonnulli, scrofulas non-
nisi modificationes esse morbi syphilitici, quod tamen per
observationes minime probatur. Subinde dum mater grava
morbis aliis gravioribus, animi affectibus ingratiss, moero-
re, tristitia affligitur, processus reproductionis languidior
redditur, et infans cum diathesi scrofulosa generatur. Sae-
pe in neonato signa diathesis scrofulosae nulla detegi pos-
sunt, tantum tardius evolvuntur per influxus potentiarum
nocentium, quae actione sua diurna in organismum te-
nerum initio provocant diathesim, quam ulteriore influxu
exaltant in morbum perfectum ita, ut sic constituant cau-
sas simul praedisponentes et excitantes, talesque sunt:

1mo. Alimenta et potylenca; cibus nempe et potus ma-
xime congruus neonato a natura destinatus est lac mater-
num; observatio docuit, in prolibus ubera matrum sugen-
tibus longe rarius evolvi scrofulas, saepius in illis quae

lactantur a nutricibus, quarum lac saepe qualitatibus requisisitis destituitur, ut a ventriculo tenero minus digeratur; inde intestina et vasa lymphatica irritantur, et sic chylus minus idoneus paratur; idem accidit si nutrix fuerit aegrota, scrofulis, syphilitide, fluore albo profuso affecta, vel animi pathematibus, in primis irae valde obnoxia; si Venereum nimis concupiscat, vel fluxum catameniale habeat, tunc lac apud plurimas subit mutationem, quam infans robustus vix persentit, sed in tenerioribus observamus inquietudinem majorem, saburram acidam, calores, tormina, vomitum, diarrhoeam, subinde convulsiones, et sic lac relative noxiūm constituit cansam praedisponentem et excitantem morbi scrofulosi; facilis evolvitur morbus dum infans lacte alterius animalis vel aliis cibis nutritur; non nulli quidem lacte asinino, caprino vel vaccino educantur sanitate congenita conservata, sed plures organismo minus firmo praediti, diathesi scrofulosa jam haereditaria instrucciō ob defectum lactis materni vel nutricis sanae in scrofulas incident, eo facilis si ventriculo debili ingerantur cibi alii copiosi, in primis farinacei non bene parati, cibi duri, pingues, acres, aromatici, panis, solnam tuberosum, potus spirituosi. Subinde etiam defectus alimentorum, subinde pharmaca haud indicata, et dosi majori exhibita, ut emetica, purgantia, mercurialia, narcotica ad morbum provocandum concurrerunt.

2do. Aēr atmosphaericus quoquo modo corruptus, in primis humidus, exhalationibus variis impregnatus multum confert ad genesim morbi scrofulosi; in urbibus populosis, in quibus aedificia alta, plateae angustae aērem retinent stagnante, in regionibus paludosis, exundationibus expositis, in vallibus profundis scrofulae endemicæ sunt, dum in regionibus montosis morbum rarum consti tuunt; rarior is est etiam in planicie, in pagis ubi homines maximum partem diei una cum prolibus in aēre libero transigunt; ubi vero in fabricis ac manufacturis proles cum parentibus includuntur in aēre humido, ibi etiam scrofulæ endemicæ sunt. Corrumpturaēr per homines copiosos, per

animalia, canes, cattos, altilia in eodem cubili habitantia, per excrementa accumulata, per vestimenta sordida, quae non raro in eodem cubili lavantur et siccantur; per negligentiam curam omnem munditiae, dum miseri infantes in sordibus suis relinquuntur, nec vestimenta eorum mutantur, per quam causam non tantum cutis immunda redditur, sed in toto organismo processus reproductionis laeditur, et sic diathesis scrofulosa exaltatur.

3to. Motus corporis intermissus, dum infantes tenerimi continuo fasciis obvoluti in cunis ligati detinentur, dum jam aetate puerili organis motus magis evolutis ad situm sedentarium condemnantur; per hanc violentam coarctationem genesis scrofularum insigniter promovetur, ita etiam per praematuram adstrictionem mentis ad studia diversa, per quam organa reproductionis magis debilitantur. Dum tales candidati morbi scrofulosi annos pubertatis attingerunt, tunc evolutio velocior genitalium facile seducit ad onaniam, quo iterum diathesim scrofulosam multum uget.

4to. Morbi alii, ut febres intensiores tam continuas quam intermittentes, inflammations topicae, profluvia, ut dysenteriae, in primis exanthemata acuta, ut variolae, morbilli, scarlatina, ipsa vaccina diathesim scrofulosam latentem excitant.

Per causas enumeratas in organismo inducitur mutatio peculiaris causam proximam morbi scrofulosi constituens, de qua diversae opinione de promtae sunt, symptomatibus tamen morbi omnibus consideratis tantum resultatum illud deducere valemus, processum reproductionis a statu normali peculiariter modo recedere, lympham et abundantiorē et qualitate mutatam esse, propterea exoriri habitum cachecticum, tumores glandularum lymphaticarum, secretiones abnormes, quae conjunctae sunt cum debilitate hypererethistica, et nisi morbi incremento obices ponantur, degenerationes variae subsequuntur.

§. 51.

Morbus evolutus prognosim diversam habet, prout intensitas et complicatio ejus variat; dispositione congenita minori in gradu praesente scrofulae post nativitatem per influxum potentiarum nocentium provocatae, et nendum inveteratae feliciter sanantur; non raro causis nocentibus remotis, observamus scrofulas nefato infantili vel puerili evolutas, tardius, dum adolescentia inchoat, per solam autocratiam naturae energie vitae exaltata dissipari. Sed subinde observamus in sexu utroque, in primis autem in sexu foeminino scrofulas antea latentes tempore pubertatis se semper magis manifestare, quod ominosum est; nam indicat saepe similem statum morbosum pulmonum. Subinde scrofulae cum eruptione fluxus catamenialis disparent, dein multis annis silent, sub graviditate, puerperio, lactatione, in casibus rarioribus incipiente senectute, dum fluxus catamenialis cessat, iterum comparent et ominosae sunt, nam systema uterinum affectum esse indicant. In omni easu constituant scrofulae in morbum chronicum, qui per annos multos affligit acerum, neque tantum per tumores cervicales formam externam minus amoenam reddit, sed morbos diversos in organismo provocat, in primis praedisponit ad phlogoses, quae excitantur quidem per diversas causas, sed adipiscuntur characterem specificum, et ideo vocantur inflammations scrofulosae, quales frequenter observantur in oculis cum photophobia magna diurna, resolutioneque haud subsecuta efformantur pterygium, maculae, et ulceræ cornæ, staphylomata; non raro exoriuntur inflammations chronicæ membranae mucosæ narium, faucium, tonsillarum, meatus auditorii externi, et partis internæ auris, non raro laryngis, tracheas, pulmonum et aliorum viscerum, quae difficulter resolvuntur, sed in suppurationem et exulcerationem transeunt, et ideo phthises scrofulosae enascuntur; frequenter producuntur per morbum scrofulosum efflorescentiae cutis variae, porrigo, tinea, eczema, impetigo; producitur dispositio ad hydropem per inflam-

uationem chronicam membranarum serosarum, inde hydrocephalus infantum; per morbum inveteratum afficiuntur et ossa, corripiuntur inflammatione chronica, dolent, abeunt in exulcerationem et cariem; non tantum dentes evadunt cariosi, sed frequenter occurrit caries etiam in aliis ossibus, in primis extremitatum, ita morbis diversis in organismo productis aeger exhibit habitum cachecticum, emaciatur, symptomatibus tabis, febris hecticae evolutis extinguitur. Dum dispositio eminenti in gradu congenita est ita, ut potentissimis nocentibus omni attentione adhibita evitatis, statim post nativitatem primis mensibus symptomata morbi se manifestent, et non obstante cura debita increscant, tunc prognosis est infausta, tales infantes saepe jam primis mensibus vitae, saepe sub dentitione extinguntur; ita fatalis est prognosis dum scrofulae inveteratae, complicatae sunt cum aliis cachexiis, scorbuto, syphilide vel rhachitide; exitus tamen funestus frequentius sequitur, quod therapia rationalis negligitur, per hanc enim mature adhibitam morbus saepe saepissime sanatur.

§. 52.

Dum therapiam scrofularum suscipimus, conamur definire, sint-ne scrofulae praesentes spuriae, quas pro diversitate causarum diversis therapiis removemus; vel sint scrofulae genuinae, et hae sint-ne complicatae, forte cum morbo magis periculo, vel cum febri intensa, vel efflorescentia cutis acuta, vel profluvio, aut neurosi, cuius cura statim suscipi debet; dum autem scrofulae simplices sunt vel cum morbo quidem alio complicatae, sed per eandem therapiam removendae, tunc curam statim dirigimus contra ipsas scrofulas.

Causa proxima morbi scrofulosi consistit quidem in peculiari statu abnormi organorum reproductionis cum debilitate et hypererethisia connexo, per quem inducitur coecochymia peculiaris, se manifestans per secretiones et reproductiones abnormes, et hoc respectu causa morbi scrofulosi est unica; ideo etiam conabantur medici detegere

remedium speciem anti-scorulosum, cuius ope scrofulae omnes sanari possent; complura a viris eximiis laudata sunt, ad lectos tamen aegrorum haud comprobata. Eo non obstante morbum scrofulosum saepe felicissimo sanamus, et quidem

Indicationem primam desumimus a causis excitantibus, quas ut removeamus, primam et praecipuam attentionem dirigimus ad vitae regimen omne debite coordinandum; ideo commendamus hoc scopo alimenta talia, quae organis digestionis et chylificationis sunt accomoda, ut chylus generetur blandus, pro nutritione idoneus; ideo commendamus, quotiescumque fieri potest, teneris infantibus lac maternum; in defectu hujus lac nutricis sanae et omni respectu bonae, quod alimentum adeo proficuum est, ut non tantum infantes, sed etiam pueri et adolescentes scrofulis majori in gradu affecti per lac nutricis sanitatem recuperaverint. Dum lac nutricis sanae haberi nequit, substituimus lac alterius animalis sani, maxime commendatur lac asinum, quod secundum analysini chemicam lacti humano maxime accedit, principii saccharini plurimum tenet, et virtus ejus salutaris pluribus observationibus probata est; proficuum est etiam lac caprinum et vaccinum, ea tamen cum attentione, ut lac semper ex eadem vacca desumatur, ventriculus enim tenerior ipsam diversitatem lactis e diversis vaccis desumti ita sentit, ut per hanc solam causam tormina, vomitus et diarrhoea provocentur. Adulti præter lac necessaria sunt etiam alia alimenta blande nutrientia, ut decoctum carnium cum oryza vel hordeo decorticato vel pano bis cocto, addito vitello ovi, aetate crescente carnes tenerae tam coctae quam assatae, cibisque animalibus jungimus etiam vegetabilis, fructus matus, olera et radices dulces, ut solanum tuberosum quantitate moderata; tantum admonemus parentes, ne infantibus et pueris solos cibos vegetabilis exhibeant, per tales enim generatur chylus fatuus pro vita animali minus idoneus. Pro potu maxime convenit aqua pura simplex; dum tamen infantes et pueri debilitate organorum digestionis et chylificationis laborant,

tuuc cerevisia bona vel vinum antiquum aqua dilutum parva quantitate proficia sunt. Potus tepidi copiosi, infusa theata minime conducunt, debilitatem organorum digestionis augent. Potum et cibum talibus infantibus maxime salutarem constituit decoctum glandium quercus tostarum, quem pulvis instar coffeae cum lacte bis per diem adhibetur; sub gradu debilitatis majori, in morbo scrofuloso multum evoluto, ad virtutem remedii exaltandam, librae uni pulverum glandium quercus tostarum addimus pulveris corticis cinchonae flavae unciam unam.

Praeter alimenta et potulenta procurari debet aegro scrofuloso aër purus et siccus, sollicite arcendo omnia, quae aërem quoquomodo corrumpere possent; ideo cubile pro infantibus ac pueris destinatum sit amplum, lucidum et siccum, a latrinis et vaporibus aliis noxiis remotum; observetur in eo mundities summa, excrements semper statim removeantur, nec unquam vestimenta in eodem cubili laventur et siccentur, ventilatio nullo die intermittaatur. Quia in urbibus magnis impedire vix possumus, ne in cubilibus aër inclusus evadat impurus, ideo commendamus, ut aeger versetur in aëre libero et sicco, cuius efficaciam magnam in sanandis scrofulis observatio quotidiana probat. Jungimus his motum corporis, teneris infantibus et adulterioribus debilibus commendamus tantum motum passivum, ut portentur, curru vel navi vehantur, et in vicem motus activi cutis universa quotidie fricitur, quae frictio etiam sola manu nuda hominis sani instituta insigniter excitat energiam languentem. Majorem effectum habent in pueris et adolescentibus scrofulosis motus activi, exercititia gymnastica, deambulatio, cursus, lusus cum pila vel pyramidibus, ascensio velox scalarum et montium, tractio funis, lucta, exercititia militaria, lubricatio in glacie, natatio in fluvio. Simul cura munditiae nunquam negligenda est, infantes et pueri nunquam in sordibus suis relinquendi, quotidie aqua tepida abluendi et saepe balneo tepido imponendi; pueri jam a teneris assuefaciendi, ut ipsi quotidie totum corpus abluant spongia aqua madefacta; ut cutis magis

mundetur balneum tepidum ad minimum semel per septimam adhibeant, vestimenta linea saepius, etiamsi non quotidie ut Hufeland commendat, sed saltem bis per septimanam, lectisternia vero semel per mensem mutari debent. Praeter haec semper ratio haberi debet etiam status psychici, educatio non tantum physica, sed etiam moralis bona confert ad diathesim serofulosam delendam; infantes teneri per educationem malam acquirunt propensionem majorem in animi affectus et pathemata, ut iram, odium, invidiā, etc. quae dum observantur prudenti ratione successive imminui debent. Non raro adstrictio mentis major, modus docendi rudior diathesim serofulosam auget, quod dum observamus, suadens studia aliquo tempore intermittere, mentem objectis facilioribus et gratis occupare; subinde scholam vel locum mutare, et iter suscipere; per tales mutationes sanitatem et somaticam et psychicam pro vita ulteriori perfectiorem reddimus.

§. 53.

Vitae regimen congruum in curando morbo serofuloso tantae est efficaciae, ut non raro illud solum sufficiat ad curam morbi perficiendam; ita testantur Mesmer et discipuli ejus zelosi, ut WOLFART, quod solo halitu vel aspersione magnetica, discipuli Hahnemann i quod dosi minima pharmaci serofulas aliis pharmacis rebelles longe plurimas sanaverint; occurunt tamen casus non pauci, in quibus per vitae regimen solum scopus desideratus non obtinetur, nisi ei juncta fuerit cura pharmaceutica. Hufeland commendat, ut talis cura inchoetur verno tempore, dum natura universa in majore activitate constituta est, interim quoconque tempore morbus se offert, cura ejus inchoari debet. Sub exordio in multis casibus indicatum est emeticum, partim ut saburra praesens evacuetur, partim ut irritans antagonisticum, exhibemusque frequentissime tartarum emeticum, nisi ob diarrhoeam praesentem ipecacuanha preferenda esset. Saepe sub exordio et decursu cūræ observatur saburra praesens in tubo intestinali, indicans

num purgantis medicinae, neque tamen exhibemus salina, quae in genere debilitatem majorem inducent, sed potius rheum, teneris infantibus in pulvere granum unum usque duo, pueris grana tria usque quatuor, statu torpidiore praesente, forte quod tubus intestinalis muco copioso sit illinitus, exhibemus pueris rheum ad grana sex, usque octo, vel invicem ejus folia sennae, vel pulverem radieis jalappae; dum simul vermes intestinales adsunt, utiliter rheo vel jalappae additur calomela. Nunquam tamen haec evacuantia diu continuanda sunt, etiamsi signa saburrae, ut lingua impura, habitus oris foetidus, ructus, vomiturations, vomitus, abdomen tunnidum, flatibus extensum observeruntur; nam saepe saepius symptomata illa producuntur tantum per statum hypererethisticum organorum digestionis et chylificationis, qui per emetica et purgantia augetur potius. Ideo in singulo casu individuali conamur per observationem scrupulosam definire, sustenteturne status ille abnormis per processum phlogisticum; licet enim cum Goodlad non defendantur, scrofulas esse inflammationem chronicam systematis vasorum lymphaticorum, in primis, glandularum lymphaticarum, tamen per observationes circa aegros convincimur, in scrofulosis adesse diathesim phlogisticam peculiarem, et non raro in membrana mucosa ventriculi et tubi intestinalis evolvitur inflammatio; dum eam observamus exhibemus initio emollientia, externe quoque applicamus entaplasmata emollientia, quibus haud sufficientibus, statu phlogistico intensiori reddito ad hirudines recurrimus, caute tamen, bene gnari, quod per haemorrhagiam ultra justos limites continuatam morbus scrofulosus universalis incrementa nova capiat.

Saepe nulla indicia phlogosis detegi possunt, sed signa observantur saburrae in primis acidæ, ob secretionem abnormem in tubo alimentari; in tali casu utilissime adhibentur alcalia, quibus nonnulli ut Farre et Sertürner virtutem specificam anti-scrofulosam tribuunt; ea quidem non gaudent, sed saepe proficia sunt, exhibemusque initio

blandiora, pulverem lapidum cancerorum, carbonatem magnesiae, carbonatam lixivao, bicarbonatam sodae, iufantibus pro nycthemero granum unum usque quatuor, adultis grana sex usque scrupulum; in morbo magis proiecto praescribimus magnesiam ustam, subinde etiam kali causticum, incipiendo a grano semis, dosim successive augendo ad grana duo, vel in pulvere, vel in infuso leniter aromatico. Subinde profuit aqua calcis cum lacte, frequentins spongia marina usta, quae a grano semis usque sex bis, quaterve per diem porrigitur.

Alcalia tam parum sunt specifica, ut in nonnullis casibus magis sint indicata acida, dum nempe in morbo jam perfecte evoluto calores ruboresque fugaces irritationem majorem systematis haematophori annunciant, quin reliqua symptomata febris compareant; frequentissime jam adest inflammatio chronicā, vel ipsa suppuratio in glandulis qui- busdam lymphaticis; tunc saepe insigenter prosunt jam acidum vitrioli dilutum, jam liquor acidus Halleri, jam acidum muriaticum, jam acidum nitricum, quae cum syrupo grato vel multa aqua diluta, vel potius in decocto emolliente praescribimus.

Majorem adhuc efficaciam exerunt in curandis scrofulis adultorum acidulae diversae, ut Bilinenses, Selteranae, Egeranae, Hungaricae ad Szalatnya, Füredinum, Ránk, Parad, sub gradu debilitatis majori acidulae martiales, ut Spadanae, Pyrmontanae, in Hungaria Bartphenses, Lublovenses, Buziásenses.

Nec tantum acidulae, sed etiam thermae in scrofulis curandis merito laudantur; thermae Budenses debite et satius diu adhibitae pro potu et balneo, processum reproductoris abnormem ita immutant, ut saepe scrofulae aliis pharmaciis diu rebelles per thermas tollantur. Similem virtutem exerunt thermae ad Trentsin, Pöstyén, Szliáts, Magno-Varadinum, Zobránez et Mehadiam; in Bohemia laudantur Töpliczenses, in Austria Badenses, in M. Ducatu Badensi Badenses, in ducatu Nassauensi Wiesbadenses et Emsenses. Gradu debilitatis majori existente, dum mitiores sul-

furese alcalinae haud sufficiunt, indicatae sunt martiales, quales prope Wichenye existunt. Dum aegri thermarum naturalium usum saepè capere non possint, ideo commendamus thermas artificiales ita, ut pro balneo sulfureo parando infantibus ordinemus sulfureti lixivae, vel calcarei unciam semis, adultis vero unciam unam usque quatuor pro uno balneo. Dum thermas desideramus roborantes, prescribimus globulos martiales, vel alumem, vel decocta adstringentia parata e ramis et foliis salicis. In plurimis casibus balnea tepida maxime scopo respondent, subinde tamen nullum levamen aegris adferunt, symptomata molesta potius augent, quia debilitas praesens cum irritabilitate morbose exaltata juncta est; in tali casu contra ipsum morbum scrofulosum commendamus aestate, ut quotidie corpus aegri aqua frigida abluatur, frictione simul aliqua adhibita; post lotiones has commendamus balneum frigidum in rivo, fluvio vel lacu, vel tantum in eado, quem aqua repletum radiis solariis exponimus toto die, et post meridiem circa quintam sextam-ve horam infantem vel puerum scrofulosum per quinque usque decem minuta immergimus. His adhuc majorem virtutem habent balnea maritima, quibus analogia sunt balnea salina, qualia celebrantur in Austria superiori ad Ischl, possuntque similia apud nos in usum vocari prope Eperiesinum in Sóvár, et in C. Marmarosiensi prope Szigeth, vel sal marinus e mari Adriatico adlatus a libra una usque decem pro balneo artificiali adhibetur.

Non raro etiam post usum alcalinorum symptomata laesae functionis organorum digestionis, chylificationis et assimilationis perdurant, ob debilitatem per potentias nocentes, per morbi ipsius durationem inductam; in hoc casu roborantia indicata sunt, initio blandiora amara, ut herba centaurei minoris, cardui benedicti, trifolii fibrini, marrubii albi, tussiluginis farfarae; saepe majorem effectum exerunt amaro-aromatica, ut radix geci urbani, radix acori, gummi ammoniacum, myrrha, galbanum, in primis asa foetida, in majori gradu debilitatis cortex cinchonae,

qui commendatur in pulvere, difficulter hac forma fertur. praestat exhibere infusum vel decoctum; saepius praescrihimus sulfatem, muriatem vel phosphatet chinini, saepius adhuc praeparata martis, inter quae Carmichael maxime commendat carbonatet ferri, et quidem scrupulum usque drachmam pro nycthemero; remedium etiam apud nos utile ad granum unum usque sex, bis usque quater per nycthemerum porrigitur cum claeo-saccharo foeniculi vel macis; non raro effectum meliorem exerunt flores salis ammoniaci martiales, vel sulfas ferri artefactus, quibus in gradu debilitatis majori jungimus stimulantia, ut corticem cassiae ligneae, nucem moschatam, liquorem aethereum, subinde camphoram dosi parva.

Saepe quidem per therapiam hue usque indicatam serofuluae etiam inveteratae sanantur, sed non raro accidit, ut statu organorum digestionis et chylificationis multum emendato, symptomata serofalarum, ut tumores glandularum lymphaticarum, efflorescentiae, secretiones et inflammationes serofulosa perduent. quia cacochymia peculiaris per morbum diuturnum inducta in liquidis remanet, per methodum roborantem solam haud tollenda; tunc recurrimus ad remedia alterantia, per experientiam repetitam in hoc morbo probata, qualia sunt:

Antimonialia, ut antimonium crudum, tartarus emeticus, sulfur auratus antimonii, kermes mineralis et in primis aethiops antimonialis.

Praeparata hydrargyri blandiora, ut mercurius gunimous Plenkii, mercurius saccharatus, tartarisatus, mercurius solubilis Hahnemannii, calomela sola vel cum sulfure aurato juncta, aethiops mineralis, subinde mercurius sublimatus corrosivus. Semper tamen attentio magna adhibenda est in effectus pharmaceorum horum, quae non raro diutius adlibita debilitatem organorum digestionis et chylificationis majorem induunt. Saepe magis utilia sunt alia:

Murias barytae seu terra ponderosa salita a ~~Cramford~~ ut specificum laudatur, qua tale a ~~Burchell~~ ^{ANNO MDCCCLXVII} Hufeland commendatar, drachma una solvitur in aquae

destillatae unciis tribus, et inde exhibentur aegro quotidie bis ter-ve guttae decem, successive augendo ad guttas triginta in uno cochleari aquae. Remedium in casibus individualibus proficuum, specifici nomine haud dignum, cum testantibus Calissen et J. P. Frank saepe effectu omni salutari destituebatur. Similem virtutem habet murias calcis a Fourcroy commendatus.

Golis maltum laudat pulveres e baccis lauri, ejus quantitas certa pastae panis imponitur, in furno calido coquitur, ut acrinonia sua privetur, baccae dein exceptae in pulverem contunduntur, et cum quantitate anatica pulveris cornu cervi et nucis moschatae miscentur, ex hoc mixto drachma una usque tres sumitur, et cum pulvleri radicis liquoritiae drachmis sex exactissime miscetur, datur ad scatulam, et sumitur inde mane et vesperi apice cultri.

Kochlin magis laudavit solutionem cupri ammoniaci in acido muriatico, tali proportione, ut liquoris hujus drachma una contineret cupri granum semis, salis ammoniaci grana duodecim, praescriptsique, ut hujus liquoris drachma una misceatur cum aquae destillatae drachmis viginti, et tunc vocatur aqua anti-miasmatica simplex infantum; pro adultis liquoris drachmae, duae miscentur cum aquae destillatae drachmis viginti et vocatur aqua anti-miasmatica simplex adulorum, exhibeturque hoc pharmacum, etiam hic cum utilitate datum, statim post prandium et coenam uno cochleari ordinario, et desuper hauritur moderata quantitas vini boni antiqui.

Recentissime post Coidet maxime laudatur jodina, ejus virtutes anti-scorfulosas plurimis observationibus probavit Lugol, praescribesque: jodinae scrupulum unum, kali hydrojodici scrupulos duos, solve in aquae destillatae unciis octo, et inde exhibentur infantibus in aqua saccharata guttae duae usque quinque bis per diem, adultis guttae sex, quae dosis omni septimana augetur guttis duabus usque triginta, subinde usque triginta sex guttas. Remedium hoc magnae efficaciae, specifici tamen nomen adhuc

non meretur, saepe enim inutile, incaute adhibitum noxiū, venenatum est, ideo nunquam praescribendum, nisi aeger quotidie observari possit.

Similē virtutē possidet bromium, per nos nedum adhibitum.

Non raro evenit, ut scrofulae cum doloribus nexae sint per methodum anti-phlogisticam haud tollendis, tunc saepe narcotica plurimum emolumenti praestant, ut extractum hyoscyami, digitalis purpurea, aconitum, belladonna, in primis autem cicuta, quibus haud sufficientibus, recurrimus ad opium jam solum, jam combinatum cum sulfure aurato antimonii vel cum calomela vel cum camphora.

§. 54.

Saepe sub decursu morbi symptomata ejus aliqua attentionem peculiarem requirunt, ut tumores scrofulosi, quos conanar resolvere, et transitum eorum in suppurationem impedire. Non raro tumores hi inflammantur, tunc in aliqua distantia hirudinum applicatio indicata est, ne tamen haemorrhagia justo major sit, secus potius impedit inflammationis resolutionem, ad quam obtinendam applicamus saepe calorem siccum, saepe fomenta aromatica siccā cum camphora, saepe solutionem salis communis, salis ammoniaci, unguentum ex felle tauri inspissato cum sale ammoniaco, unguentum hydrargyri cinereum cum unguento cicutae, unguentum e kali hydro-jodico; laudatur etiam unguentum e kali hydro-bromio, per nos nedum adhibitum; laudatur etiam electricitas et galvanismus; his tamen longe majorem efficaciam habent balnea sulfurea, salina et maritima. Dum tumores inflammati resolvi non possunt, in suppurationem traueseunt, tunc ad suppurationem blandam obtinendam vitae regimen roborans commendamus, externe tantum cataplasma emollientia, vel emplastrum cicutae cum gummi-resinoso adhibemus. Quaecunque cauteria obseruemus, nleus scrofulosum post abscessum efforatum est semper chronicum, per menses et annos durans; interne adhibemus therapiam contra scrofulas laudatam

statu individuali accommodam; externe vero pro deligatione, dum sensibilitas ulceris est major, plumbata sunt indicata, secus caustica, ut oxymel aeruginis, aqua antimiasmatica simplex Köchlini, aqua calcis, solutio lapidis infernalis, caustici, divini, mercurii sublimati corrosivi, mercurius praecipitatus ruber efficaciam exerunt majorem. Contra ipsam ophthalmiam scrofulosam pertinacem maxime laudantur solutio lapidis divini, infernalis, mercurii sublimati corrosivi cum tinctura opii, mercurius praecipitatus ruber forma unguenti rubri ophthalmici. Secundum observationes a Lugol institutas etiam contra morbos scrofulosos externos maxime indicata est jodina, pro deligatione ulcerum, pro injectione infra palpebras et pro injectione in nares in coryza scrofulosa praescibit: jodinae grana duo usque quatuor, kali hydrojodici grana quatuor usque octo, solve in aquae destillatae libra una. Contra morbum latius extensum commendat quam maxime balnea, pro infantibus praescribit: jodinae scrupulos duos, usque quatuor, kali hydrojodici scrupulos quatuor, usque octo, solve in aquae destillatae unciis sex; pro adultis praescribit: jodinae drachmas duas usque quatuor, kali hydrojodici drachmas quatuor usque octo, solve in aquae destillatae unciis sex. Dosis una miscetur in eado cum aqua calida viginti octo usque triginta graduum therm. Reaum, adhibeturque balneum tale per septimanam bis ter-ve, semper sub observatione medici, cum etiam externus usus remedii noxios effectus producere possit.

Superatis omnibus morbi symptomatibus ad recidivam evitandam causae nocentes evitari, et vitae regimen congruum continuari debet.

S T R U M A.

§. 55.

Struma dicitur tumor chronicus glandulae thyreoideæ, quæ initio, praeter dissimilitatem, nullam aliam perturbationem valetudinis inducit, sub incremento majori respirationem deglutitionem et circulationem impedit. nomine strumæ post Celsum non pauci scriptores Angli et I. P. Frank describunt scrofulas, tumorem autem glandulae thyreoideæ vocant bronchocœls, tracheocœls, gongrona, deironcus, thyreophyma. longe plurimi tamen retinent nomen strumæ; estque morbus hic multis in locis endemicus, ut in vallibus Styriae, Carinthia, Salisburgi, Tyrolis, Helvetiae, Sabaudiae, montium Pyrenæorum et Apenninorum, in Russiae et Angliae provinciis pluribus, in America in primis septentrionali, sed etiam meridionali, in vallibus montium Carpathiorum, circa Neosolum et in C. Marmarosiensi, etiam in planicie in insula Cituorum, et Transylvania ad ripas Alutæ; sporadicus autem observatur ubique locorum, licet non frequens.

I. L. Valentin, Diss. de struma, bronchocœle dicta, Nancy. 1787.

Von Meerten, Diss. de morbo strumoso, Lugd. Batav. 1788.

F. E. Laurent, Diss. de strumis, Argentorati. 1791.

Brodbelt, Diss. de bronchocœle. Edinburgh. 1794.

I. Gautieri, tractatus de struma Tyrolensis, Carinthiorum, Styriorumque. Vindobonae. 1794.

Haase, Diss. de struma, eamque sanandili methodo. Helmstädt. 1796.

Fodéré, essai sur les goitres et les crétinages.. Turin. 1792.
Paris. 1802.

B. S. Barton, a memoir concerning the goitre, as it prevails in different parts of North America. Philadelphia. 1800.

— — Abhandlung über den Kropf, wie er sich in verschiedenen Theilen von Nord-America häufig findet. Göttingen. 1802.

- I. Brunier, considérations générales sur les goitres endémiques. Paris. 1804.
- N. Jacquier, Diss. sur les goitres. Paris. 1813.
- I. Brun, Diss. sur les goitres. Paris, 1815.
- Mühlbach, der Kropf nach seinen Ursachen und Heilung. Wien. 1822.
- A. Humboldt, observations sur quelques phénomènes peu connus qu'offre le goitre sous les tropiques, dans les plaines et sur le plateau des Andes. Paris. 1824.
- F. C. K. Kriegelstein, die Kunst die Krankheiten der Schilddrüse und den Kropf zu heilen. Gotha. 1827.
- K. I. Beck, über den Kropf, ein Beitrag zur Pathologie und Therapie desselben. Freiburg. 1739.

§. 56.

No in diagnosi morbi errorem committamus, distingue-re debemus morbum ab aliis tumoribus in collo occurrenti-bus. Aliqui ob conformatiōnem corporis congenitam, collum habent totum crassum, quin strumosi sint, in aliis com-parent tumores glandularum salivalium, cervicalium, in aliis cystides, tumores aneurysmatici vel varicosi, quos tamen omnes attentionem dirigendo ad sedem, extensionem, suc-cessivam evolutionem et symptomata facile discernimus a struma, quae sedem suam semper habet in glandula thy-reoidea, in ejus una parte incipit tumor initio parvus, et frequenter lentissime increscens, saepe restrictus ad unum latus seu cornu glandulae, non raro extensus per totam glandulam, atque tunc saepe adipiscitur molem monstrosam, ex-tenditur nempe sursum versus usque ad marginem maxillae inferioris, postrōrum usque processus mastoideos et nucham, deorsum usque ad manubrium ossis sterni; subinde depen-det struma magna usque ad mammas, usque ad umbilicum, imo usque ad genua; non raro extenditur struma profunde in collum et cavum pectoris, atque partes vicinas compri-mendo reddit semper respirationem plus minus-ve difficultem, imp̄imis sub ingressu celeriori; vox est peculiariter mutata, coaxans; non raro deglutilio, subinde per vasorum cer-

vicalium compressionem etiam circulatio cerebralis impeditur; ideo enascuntur cephalaeæ, vertigines, et status soporosus. In genere strama est indolens, nisi per influxum potentiarum nocentium phlogosis glandulae thyreoideæ inducatur, qualis describitur a I. P. Frank nomine *thyreophymatis acuti*, a J. Frank nomine *thyreoididis*, a Conradi nomine *cynanche thyreoideæ*.

Tumor variat non tantum magnitudine, extensione, figura, sed etiam consistentia, subinde constituit tumorem aequabilem, mollem, elasticum, alia vice inaequalem, durum, tuberosum, et tactu percipimus subinde fluctuationem, praesentiam liquidi indicantem, disquisitionesque anatomico-pathologicae docent, strumam compositam esse e pluribus tuberculis, saccis, cryptis, cystidibus ita, ut reperiantur partes membranaceæ, ligamentosæ, cartilagineæ, quæ efformant cellulas, recondentes liquidum spissum, jam albo-opacum, jam cinereum, jam sanguine mixtum; subinde reperti sunt calculi, hydatides etc.

Differentia essentialis strumæ dependet a parte, in qua efformatio tumoris sedem suam principalem habet, saepe evolvitur morbus in tela cellulosa glandulam thyreoideam ambiente, tunc tumor incipit statim infra cutim, et successive ulro extenditur. Sub incremento ulteriori etiam tela cellulosa per ipsam substantiam glandulae distributa in statum morbosum conjicitur, et tunc vocatur struma cellulosa. Saepe evolutio morbi inchoat in acinis minimis, e quibus glandula thyreoidea composita est, tunc tumor incipit profunde in glandula, et inde extenditur successive magis, vocatur struma glandulosa. Subinde nec textus cellularosus, nec acini morbosí sunt, sed tumor abnormis inducitur per vasa haematophora magno numero per glandulam distributa, et quidem subinde arteria thyreoidea superior vel inferior in ipsa glandula aneurysmatice extenditur, dicitur tunc struma aneurysmatica. Subinde alterutra vena thyreoidea est varicose extensa, dicitur struma varicosa. His additur struma emphysematica seu aërea, quæ inducitur ab aëre exteruo per vulnus

cutaneum obliquum in textum celluloso glandulae thyreoideae penetrante, vel dum trachea pro parte rupta vix egreditur in cellulosa glandulae, enasciturque tunc tumor elasticus crepitans. Olim putabant speciem hanc strumæ esse frequentem, observationes tamen recentiores exactæ docent, speciem hanc esse omnium rarissimam ita, ut probabile sit, observatores multos antea pro struma declarasse herniam trachealem, quæ vocatur tracheo vel bronchocele, ubi nempe sub violentia externa collo illata, vel sub motu violento tracheæ annuli cartilaginei tracheæ ab invicem separantur, et per hiatum illum membrana intima tracheæ protruditur, constituens in collo tumorem crepitantem, qui post frictionem moderatam adhibitam disparet, nequo sedem suam in glandula thyreoidea habet, ideo a strumæ penitus distincta est.

I. Frank, Epitome Liber VI, pars II. p. 83.

I. Frank, Praxis medicæ universæ præcepta, Pars II. Vol. II. S. I. p. 222.

Hüpeden, Diss. sistens animadversiones de affectibus inflammatoriis glandulae thyreoideæ. Heidelbergæ. 1823.

Conradi, commentatio de cynanche thyreoidea et struma inflammatory. Göttingæ. 1824.

§. 57.

Per symptomata enumerata in singulo casu individuali facile cognoscere possunus strumam præsentem et speciem ejus definire, ut tamen natura ejus clara reddatur, etiam causas exquirere debemus. Aliqui homines dispositione prædicti sunt peculiari congenita, haereditate acquisita; nunquam statim post nativitatem conspicitur morbus, sed post annum aetatis septimum usque duodecimum; saepè dispositio latens tantum tardius provoeatur per influxum potentiarum nocentium, et quidem frequentius in sexu foemineo, licet non sit morbus rarus et in sexu virili, causaeque excitantes assignantur ab observatoribus diversæ; ita strumarum endemicarum causam unam excitantem defendunt esse consuetudinem onera portandi in vertice capitis, quam opinionem

refellit observatio, cum in aliis regionibus eadem consuetudine vigento strumao haud observentur; alii accusarunt aquam nivalem, qua utuntur incolae vallium a strunis infamium quae opinio per observationes non comprobatur. Negari tamen non potest, aquas nonnullas qualitatem ita noxiam habere, ut qui illis utuntur aliquo tempore struma afficiantur; docente Kriegelstein, qualitas ea noxia aquae dependet a defectu acidi carbonici, docente Vest dependet a materia peculiari siliceae juncta, quam vocat bronchium; a tali aqua induci strumam probatur inde, quod usus ejus derelicto iterum dispareat tumor. Saepe tamen aqua innocua est, sed aer peculiari modo corruptus excitat strumam endemicam; in multis locis, in vallis profundi nullum detegitur alia causa, quam aer exhalationibus aquarum stagnantium peculiariter inquinatus, quae corruptio non tantum inter montes altos, sed etiam in planicie locum habet, ut apud eos in insula Csallóköz; et Fodér adnotat Argentorati in una parte urbis exhalationibus exposita, strumas copiosas generari, dum in aliis partibus urbis nullae obseruantur. Imhof repetit hanc peculiarem noxiam indolem aeris a defectu electricitatis. Quod conditio peculiaris atmosphaerae morbum hunc excitet, probat observatio a Milbach relata; Tyrolenses nempe struma affecti singulo anno ingruente vere patriam suam sterilem relinquunt, migrantque ad littora maris Adriatici, in primis Tergestum, ut labore mercantur media vitam sustentandi, sero autumno revertunt in patriam, ut plurimum strumis suis liberati.

Strumae sporadicae ubique locorum observantur, encounturque non raro sub parte in primiparis, dum sub doloribus capite postrorum reclinato vehementer ejulant, sed etiam sine parte, etiam in viris sub vociferatione nimia, cantu, tussi violenta, putabantque olim, sub illis circumstantiis e trachea rupta aërem penetrare in glandulam thyroideam, quod tamen non contingit, nam nullus tumor crepitans distinguitur, sed congestio sanguinis major locum habet in glandulam thyroideam; ideo excitatur talis struma subinde per violentiam mechanicam collo illatam, per aeria

caustica applicita, subinde antagonistice, dum evacuationes aliae habituales supprimuntur; subinde post orchitidem vel porotitidem subito evanidas comparuit; subinde est struma sympathica, ita nonnunquam in puellis et mulieribus tempore fluxus catamenialis glandula thyreoidea intumescit, collum evadit crassius, fluxu catameniali cessante tumor quoque disparet, tantum in virginibus senescentibus subinde remanet. Praeter momenta enumerata ad naturam morbi individualem desiniendam adnotamus, sit-ne struma simplex vel complicata; sic struma endemica saepe est complicata cum cretinismo et cum serofulsi, quam complicationem subiude etiam in struma sporadica detegimus, quin inde pronunciare possimus, strumam omnem esse tantum symptoma morbi serofulsi; nam in hominibus sanis, robustis, ob solum statum dynamico-organicum topicum abnormem, strumam insignis molis non raro conspicimus.

Vest, vorläufige Charakteristik einer in den Wassern, welche den Kropf und den Cretinismus erzeugen, in Verbindung mit Kieselerde vorkommender Substanz (Medic. chirurgische Zeitung von Ehrhart. 1831. Bd. II, S. 337.)

§. 58.

Exitus et prognosis strumae variat pro diversa natura individuali, curatione et complicatione morbi. Struma congenita, endemica vel etiam sporadica, per seriem annorum plurium inveterata, spem perficiendae curae largitur exiguam, talis perdurat tota vita; saepe quidem praeter crassitatem colli majorem, vocis alterationem et respirationem sub incessu impeditam, nullam causat sanitatis laesionem, nec viatae longaevitatem impedit. Dum struma sporadica aetate juvenili vel virili enata nedum inveterata est, saepe feliciter et cito sanatur. Non desunt exempla strumae per solam autocratiam naturae sanatae, dum aqua noxia et aer noxius derelinquuntur; non raro morbus aetate puerili comparens tempore pubertatis, dum fluxus catameniorum comparet, dissipatur, in casibus rarioribus struma chronica corripitur inflammatione, quae transit in suppurationem, tumorem to

tum consumentem; quod ni contingat, struma mole in-
crescens comprimit tracheam et oesophagm, respiratio-
nem et deglutitionem impedit, comprimit vasa sanguisera,
sieque inducitur congestio sanguinis major in encephalum;
inde cephalaeac, vertigines, subinde etiam apoplexia enata
est; subinde adipiscitur tumor indolem scirrhosam, et dege-
nerat in cancrum, tuncque efformantur ulcera fistulosa in
tracheam penetrantia cum symptomatibus phthisis trachealis.
Qui exitus funesti saepe saepius per therapiam rationalem
impediri possunt.

§. 59.

Indicationem curae primam desumimus a causis excitantibus morbi; ideo aqua vel aëri noxiis qualitatibus praediti aut corrigi debent, vel si id fieri nequit, locum mutando aeger influxui noxio substrahendus est. Sic in vallibus profundioribus propagatio ulterior morbi impeditur, quod matres ultimis mensibus graviditatis deferantur ad loca altiora in aërem durum siccum, ubi infantes primam vitae periodum absolvunt. Qui dispositionem ad morbum jam aetate teneriori manifestant, illi causas excitantes morbi omnes sollicite vitare debent; ne refrigerium admittant, semper collum obiectum habeant, et attendant ne violentiae ullae collum feriant; primiparas admonemus, ne tempore partus per ejulatum nimium et reclinacionem capitis violentam post rorsum versus morbum provocent. In morbo evoluto sporadicō causam excitantem adhuc perdurantem removere conamus; sic profluvium habituale suppressum ut fluxum catameniorum restituimus; si struma symptoma fuerit morbi serofulosi curam anti-serofulosam applicamus. Saepe tamen causa excitante jam remota tumor perdurat, tunc indicationem curae desumimus a statu dynamico organico abnormi tumorem sustentante. Opinio antiqua fuit, strumam tactu regum sanari posse; Hume refert reges Angliae hanc potestatem habuisse, quam serius reges Galliae sibi tribuerunt. Non quidem omnes strumosi, sed tamen aliqui sanati sunt, et tactus medici non coronati sanat subinde strumas; sic refert

Wolfart, se multas strumas resolvisse per solum magnetismum animalem; ad curas tales perficiendas requiritur semper magna fides et in medente et in aegro, et quia ea saepe desideratur, multi struma affecti per magnetismum animalem rarius sanantur quam per medicum rationalem. Subinde struma aut incipiens, aut etiam chronica per influxum potentiarum nocentium naturam adipiscitur inflammatoriam, tuncque methodus anti-phlogistica est indicata, sanguinis evacuatio topica hirudinum ope in aliqua distantia a struma, vitae regimen anti-phlogisticum, decocta emollientia, purgantia mitiora anti-phlogistica, non raro calomela cum digitali purpurea. Dum autem observamus transitum inflammationis in suppurationem, tunc hanc in primis in struma chronica salutarem promovemus per vitae regimen congruum per cataplasma emollientia, vel torpore observato per cataplasma magis irritantia, et nisi abscessus sponte rumpatur ad evitanda ulcera fistulosa pus per incisionem evacuamus, vel in struma chronica et magna, suppuratione lenius procedente setaceum per tumorem traducimus.

Saepe nulla inflammatio detegitur in struma, tantum secretio morbosa locum habet, vel in textu celluloso vel in acinis glandularum, tunc indicatio curae est, ut secretio nova impediatur, et per energiam vasorum exaltatam secretum absorbeatur, quem in finem inter remedia varia proposita maximam laudem sibi meruit spongia marina usta, quae ubique terrarum saepe cum utilitate adhibebatur vel in pulvere, adultis scrupulus semis usque scrupulum unum bis per diem; ad virtutem ejus exaltandam additur a nonnullis calomelae granum semis usque unum, ab aliis digitalis purpurea, ab aliis pulvis corticis cinnamomi, nucis moschatae, praeparata ferri. Non raro exhibetur forma trochiscorum, vel forma decocti, drachinae duae usque unciam semis coquuntur in sufficienti quantitate aquae, colatura unciarum sex adduntur aquae cinnamomi simplicis, syrapi corticum aurantiorum ana uncia semis; bis ter-ve per diem, initio uno, dein duobus cochlearibus sumatur. Postquam per analyses chemicas detectum fuisset, in cineribus spongiae marinae

ustae principium maxime efficax esse jodium, hoc remedium e cineribus fuci vesiculosi seu aethiopis vegetabilis paratum, coepit Coindet adhibere contra strumam, initio solutionem aquosam, grana triginta kali hydrojodici solvendo in aquae destillatae uncia una, quae efficax quidem sed inconstans est, ideo substituit solutionem spirituosam, quadraginta octo grana kali hydrojodici solvendo in uncia una spiritus vini rectificati. Ex hac tinctura jodinae saturata exhibentur in aquae saccharatae poculo dimidio guttae decem ter per diem, nempe mane jejuno stomacho, secunda vice inter decimam et undecimam horam, tertia vice vesperi post coenam. Post octo dies angetur dosis ad guttas quindecim, post octo dies ad viginti, quas dein retinetur, observationesque plures repetitae docuerunt, strumas hoc pharmaco intra sex usque decem septimanas resolutas suisse. Sed remedium est venenatum, ideo semper cum summa circumspectione adhibendum, nec praescribendum, nisi aeger per medicum quotidie observari possit; et Coindet expertus est, per remedium dosi relative majori sumtum excitari gastro enteralgias, cephalaeas, temulentias, quibus signis supersaturationis observatis, usus anterior remedii intermitti, et jam productus morbus therapia individuali removeri debet. Frequentius adhibetur remedium externe, kali hydrojodici drachma semis usque drachmam unam exacte miscetur cum axungiae porci uncia una, et ad magnitudinem nucleus avellanae quotidie mane et vesperi inungitur strumae, effectus tamen remedii et tunc attente observari debent, nam etiam applicatio externa diu continuata tabem induxit. Ideo recentioribus temporibus iterum frequentius adhibetur cinis spongiae marinae ustae, vel in vicem ejus alcalia et quidem carbonas sodae in pulvere, a drachma semis usque unam pronycthemero.

Remedia haec nullam utilitatem praestant in struma aneurysmatica et varicosa, in illa ut docent observationes per ligaturam arteriae thyroideae injectam, cura feliciter peracta est. Dum in struma chronica per therapiam omni cautela longiori tempore adhibitam decrementum tumoris

nullum obtainemus, tunc praestat a tentaminibus inanibus abstinere, in primis nulla irritantia in usum vocare, per ea enim non raro degeneratio scirrhosa et carcinomatosa provocatur. Nam struma mole sua nimia respirationem et circulationem impediendo, vel degeneratione scirrhosa canerosa vitam aegri in periculum conjicit, tunc indicata est extirpatio ejus jam partialis jam generalis, quae operatio ob vasa quidem sanguifera copiosa per glandulam thyreoidam distributa periculo non caret, sed jam a chirurgis eximiis successu felici instituta est.

Postquam per therapiam casui individuali accommodatam struma imminuta est, tunc ad resolutionem perficiendam conferunt frictio, et moderata compressio colli ope fasciae, applicatio panni mollis vel gossypii, impraeagnati fumo gum-resinarum benzoës, storacis, succini, sacchari; subinde inunctio linimenti leniter stimulantis, subinde electricitas, galvanismus. Ad morbi sublati recidivam impediendam causas nocentes evitari debent.

Clowes, a treatise on the struma. London. 1602.

Laurentius, de mirabili strumas sanandi vi, solis Galliae Regibus concessa. Parisiis. 1609.

Zentgrav, Diss. de tactu Regum Franciae, quo strumis laborantes restituuntur. Vittebergae. 1668.

T. Becket, two letters, as a free enquiry into the antiquity and efficacy of touching for the Kingsevil. London. 1722.

Coindet, Découverte d'un nouveau remède contre le goître (Bibliothèque universelle de Genève, 1820, Juillet).

— *Nouvelles recherches sur les effets de l'iode et sur les précautions à suivre dans le traitement du goître par ce nouveau remède (Bibliothe. univ. 1821. Février).*

L. Formey, Remerkungen über den Kropf und Nachricht über ein dagegen neu entdecktes wirksames Mittel. Berlin. 1820.

L. F. Wagner, Diss. de aqua iodica fontis Hallensis. Vindobonae. 1831.

F. Walther, neue Heilart des Kropfes durch die Unterbindung der oberen Schilddrüsen-Schlagader, Sulzbach. 1817.

R H A C H I T I S.

§. 60.

Rhachitis vocatur etiam morbus Anglicus, quia olim rarus frequentior observatus est sub initio seculi XVII, prima vice in Hibernia, dein Anglia, postea propagatus et in continentem, hodie nec apud nos rarus; quam morbi propagationem repetit Neumann ab usu frequentiori solani tuberosi, qui cibus ex America in Europam translatus prima vice fuit communis in Hibernia et Anglia. Sed observationes apud nos institutae docent, non raro in familiis, ubi usus solani tuberosi rarius est, rhachitidem occurrere, dum apud alias eodem cibo quotidie utentes morbus haud observatur. Ideo nobis magis probabile est, morbum hunc frequentiorem redditum fuisse per influxum epidemicum, quo fit ut morbi alii imminuantur, dispareant, alii exsurgent et multiplicentur.

Est autem rhachitis morbus ille cachecticus peculiaris, sub quo organa digestionis et chylificationis atonia peculiari laborant, sanguificatione et reproductio ita abnormes redduntur, ut cutis pallida, musculi flaccidi, ossa morbose emollita evadant; ideo partim intumescunt, partim incurvantur, quae curvatura frequentissime observantur in spina dorsi, ideo vocatur rhachitis, ab aliis *rhachia*, a Swedia uer *osteo-malacia*.

F. Glissonius, Tractatus de rhachitide, seu morbo puerili Rickets dicto. Londini. 1650.

J. P. Büchner, Diss. de rhachitide perfecta et imperfecta. Argentorati. 1754.

J. E. Zeviani, della cura di bambini attacati dalla rachitide. Verona. 1761.

Jay, Diss. de rhachitude, Lugd. Batav. 1762.

Klein, Diss. sistens casum rhachitidis congenitae. Argentorati. 1763.

J. Mervin Noot, Diss. de rhachitide. Edinburgi. 1766.
IV.

W. Farrer, a particular account of the rickets in children, and remarks on its analogy to the kings-evil. London. 1773.
G. Verardi, della rhachitide. Napoli. 1775.

W. Trnka de Krzovitz, historia rhachitidis. Viennae. 1787.

J. F. L. Cappel, Versuch einer vollständigen Abhandlung über die sogenannte englische Krankheit. Berlin u. Stettin. 1787.

A. Portal, Observations sur la nature et le traitement du rhachitisme. Paris. 1797.

— Beobachtungen. über die Natur und Behandlung der Rhachitis. Weissenfels. 1798.

F. Carvela, considerazioni sulla rhachitide. Padova. 1817.
Giuliani, sul rhachitismo. Napoli. 1819.

L. W. Ficker, de rhachitide, morbisque ex ea oriundis commentatio. Berolini. 1821.

F. M. J. Siebold, die Englische Krankheit. Würzburg. 1827.

C. F. Sartorius, Diss. rhachitidis congenitae observatio. Lipsiae. 1826.

§. 61.

Ut naturam rhachitidis cognoscere valeamus, attentio-
 nem nostram dirigimus in evolutionem successivam sym-
 ptomatuum omnium morbi, et ad momenta ejus pathogene-
 tica; relate ad haec duo momenta distinguitur morbus in
 rhachitidem infantum et adultorum.

Rhachitis infantum est morbus frequentissime cum
 scrofulis nexus, ita ut **Portal**, **Hufeland** et **Neumann** doceant, rhachitidem nil aliud esse quam materiam
 scrofulosam in ossa depositam; interim cum observamus
 aegros non raro morbo scrofuloso in gradu eminenti af-
 fectos, quin tamen rhachitidis vestigium reperiatur, ideo
 oportet rhachitidis naturam individualem exquirere. Sub
 decursu morbi stadia duo distingui possunt.

Stadium morbi primum seu prodromorum seu diathe-
 sis rhachitica seu rhachitis latens subinde jam in infant-
 bus tenerrimis, brevi post nativitatem observatur, fre-
 quentius tamen tempore dentitionis usque annum secundum

tertium-ve evolvitur. Infantes antea turgidi, colore amoeno praediti evadunt pallidi cum cuti in aliis oedematosa, in aliis collapsa, et in rugas contracta, ita ut faciem exhibeant senilem. Simul contingunt perturbationes variae in organis digestionis et chylificationis, plurimi quidem alimenta in primis lac et cibos farinaceos avide ingerunt, sed non rite digerunt; post cibum qualemcumque ingestum abdomen inflatur, vexantur torminibus, ructibus acidis; vomitu, diarrhoea, non raro etiam sudor acidum odorem habet, urina a salibus majori quantitate admixta est turbida, alba, quasi lactea. Symptoma haec tempore dentitionis augentur, dentitio ipsa est tarda et molesta cum febri, torminibus, subinde convulsionibus nexa, et dentes sub morbo ulterius evoluto cito destruuntur, flavescent, nigrescunt, cariosi evadunt, et excidunt. His symptomatibus jam remittentibus, jam increcentibus juncta est flacciditas, mollities et laxitas magna muscularum ita, ut infantes qui jam prius sedebant, se erigeant, et ambulabant, nunc motum horreant, et coacti illum perficere non valeant. Caput quoque difficulter sustentant partim ob debilitatem illam muscularum, partim quod relate ad corpus reliquum majus sit, eum ob ossium evolutionem tardam fontanellae diutius apertae maneant. Durat hoc stadium per menses plures, subinde usque annum secundum tertium-ve, tunc comparet.

Stadium secundum morbi perfecte evoluti, tunc in ossibus apparet peculiaris status morbosis, ossa in primis cylindrica extremitatum inferiorum, non raro superiorum evadunt in medio seu corpore tenuiora, in toto molliora, propterea non valet aeger iis insistere; in extremitatibus, in articulis, in primis in dorso et carpo intumescent, ut videantur articuli duplicati esse. Sub hac mutatione ossium organa digestionis et chylificationis in exercendis functionibus suis semper magis imperfecta redduntur, hepar volume increscit ita, ut tactu in regione hypochondriaca dextra et epigastrica tumor distingui possit; ob volumen hepatis austum et abdomen totum tumidum, dilatatio ip-

sius pectoris debita impeditur, ideo respiratio evadit brevis anhelosa, in primis sub motu corporis celeriori, aut sub ascensione ad locum altiore; inducitur quidem haec dyspnoea etiam a statu morbo ossium cavum pectoris constituentium; nam columna vertebralis in rhachitide in primis morbo afficitur, vertebrae redduntur molliores, cartilagine intermediae, ligamenta acquirunt mollitatem et flexibilitatem morbosam, ideo spina dorsi a situ normali deflectit, producunturque curvatura ejus diversae, frequenter postrorsum versus, ita ut in dorso gibbus efformetur, dicitur gibbositas seu cyphosis, subinde curvatura contingit anterorsum versus in cavum pectoris, dicitur torosis, frequentius locum habet curvatura lateralis, referens figuram litterae S, dicitur scoliosis. Deformitates haedib[us] sunt limitatae ad solam columnam vertebralem, sed etiam ossa reliqua cum vertebribus nexa e situ suo distorquentur, ipsa emollita formam acquirunt abnormem; ita os sterni prominet acuminate, instar carinae navis, subinde retrahitur in cavum pectoris, lumen profundum efformans; non raro costae in uno latere prominent magis, dum in alio convexitate sua imminuta magis complanatae sunt; ita etiam ossa pelvis jam ex una parte magis elevata, jam magis depressa, non raro morbose incurvata et tumida sunt. Per has ossium difformitates functiones organorum cavo pectoris inclusorum, in primis pulmonum, non sicut ac viscerum cavo abdominis et pelvis retentorum, vario modo turbantur. Morbo ulterius crescente ossa prius tantum emollita degenerationem subeunt maiorem, transeunt post inflammationem chronicam in exulcerationem et cariem, quae in ipsa substantia ossis inchoat vocatur spina ventosa, pedarthrocace, per quam excitatur inflammatio et exulceratio chronica etiam in partibus solidis molibus, et sic comparent symptomata febris hecticae, phthisis pulmonalis, subinde hydropis cerebri, pectoris vel abdominis.

Dum ita sub morbo successive evoluto organa plurima in statum imperfectum collocantur, non raro systema ner-

vosum vitae animalis e morbo vix participat, immo perfectius evolvitur ita, ut exempla habeamus rhachiticorum, in quibus et sensus externi et facultates intellectuales gradum perfectionis majorem adepti sunt; sed nec hoc in omni rhachitico locum habet, non raro ipsa ossa capitis monstrose tumida evolutionem encephali impediunt, ideo saepe cum rhachitismo conjuncta est mentis imbecillitas; idiotismus, propterea auctores nonnulli cretinismum retulerunt ad rhachitidem.

§. 62.

Ex symptomatibus omnibus successive a tenera aetate in organismo toto evolutis in singulo casu individuali cognoscere valemus rhachitidem infantum, quae distincta est a rhachitide adultorum; haec enim consistit tantum in emollitione morbosa ossis, dum rhachitis infantum processum constituit morbosum late per organismum in primis per ossa plurima extensum: osteo-malacia adultorum est tantum limitata ad ossa pauciora, induciturque per morbos alios, ut subinde per scrofulas, quae aetate iuvenili aut virili magis evolutae ossis unius alterius ve morbosam emollitionem provocant; similiem effectum habent sub circumstantiis nedum satis definitis syphilis, scorbutus, arthritis, rheumatismus, exanthemata acuta, variolae, morbilli, scarlatina, infaretus abdominales, profluvia habitualia suppressa, castratio et onania; quas causas omnes multis observationibus comprobatas refert Portal, totidem species distinctas rhachitidis stabiliendo. Unde patet, rhachitidem adulorum esse semper morbum symptomaticum et secundarium, dum rhachitis infantum constituit morbum protopathicum, primarium.

Causam proximam rhachitidis infantum, reflectendo in symptomata cuncta, concludimus esse debilitatem peculiarem organorum digestio-nis, chylificationis et nutritionis, qua stante producitur eacochymia peculiaris ita, ut et sanguis et liquida secreta a statu normali recedant, quae abnormalitas se maxime manifestat in ipsis ossibus, in quibus

pars glutinosa redditur abundantior, pars autem terrestris maxima pro parte phosphas calcis imminuitur, partim quo minori quantitate secernatur, partim quo majori quantitate absorbeatur, et per urinam evacuetur. Ad hunc statum morbosum generandum requiritur primo dispositio peculia-
ris, subinde congenita a parentibus haereditate propagata, vel in utero matris evoluta, per influxus evolutioni foetus haud faventes; sic parentes debiles per senectutem vel mor-
bos graves, in primis per syphilidem exhausti generant pro-
les dispositione rhachitica praeditas, quae dispositio post
nativitatem exaltatur per influxum causarum morbi exci-
tantium, quae evolutionem organismi infantilis vario modo
impediunt; ut denegatum lac matris vel nutricis sanae,
cibus qualitate vel quantitate peccans, aer impurus, exha-
lationibus variis inquinatus, immunities cutis, defectus
motus corporis necessarii, pharmaca incongrue exhibita,
morbi diversi, in primis febres et exanthemata, quae causae
jam pauciores jam plures ita agunt, ut debilitatem illam
specificam organorum digestionis, chylificationis et repro-
ductionis provocent.

§. 63.

Rhachitis pro diversa sua duratione, intensitate et complicatione varios nanciscitur exitus; dum morbus in gradu ita eminenti est congenitus, ut statim primis mensibus post nativitatem symptomata ejus compareant et ce-
leriter increscant, tunc prognosis est pessima; nam tunc per curam rationalem quidem vita subinde conservatur per
plures menses, etiam annos, sed vita tamen miserrima, et
morbus jam citis jam lentioribus passibus sub qualicunque
therapia semper increscit, donec sub ultimo stadio carie
evoluta jam hydrocephalus, jam hydrothorax, jam phthisis
pulmonalis vel intestinalis cum symptomatibus febris
hecticae comparent, et aegram enecant. In cadavere repe-
riuntur destructiones variae in partibus solidis, in primis
in ossibus, quae in diversis partibus monstrose intumescunt,
ancyloses efformant, et vario modo incurvantur.

Nec tamen rhachitis omnis exitum ita funestum nanciscitur, non raro dispositione congenita haud eminenti, morbus nedum inveteratus, potentissimis nocentibus remotis, per solam autocratiam naturae sanatur. Non quidem semper sanitas ita restituitur, ut nulla amplius morbi vestigia relinquantur; dum morbus jam diu duravit, neglectus est, ossium fabrica jam multum immutata, tunc post sanitatem etiam relativam restitutam, remanent saepe ossium disformatates, ita non raro cranium figuram retinet quadratam; in parte una altera ve cranii, subinde in fronte remanet tumor; ossa extremitatum inaequalia, unius lateris longiora, alterius breviora et vario modo incurvata observamus; frequentissime remanent curvatura in ossibus truncorum, in spina dorsi, in ossibus pectoris et pelvis, et inde dispositiones ad dyspnœam, asthma, peripneumoniam, phthisim, hydrothoracem, partum difficultem; quae sanitatis et vitae pericula per therapiam rationalem saepe saepius averti possunt.

§. 64.

Cura prophylactica rhachitidis statim post nativitatem inchoari debet, ut influxum potentiarum nocentium removendo, evolutio diathesis congenitae ulterior impediatur. Ideo persuademus matri sanæ, ut sola prolem lactet, quod si non valet, ut nutricem sanam eligat, nam diathesi rhachitica praesente rarissime succedit educatio infantis per lac alterius animalis. Organis digestionis magis evolutis, dum infanti praeter lac etiam alii cibi porrigitur attentio adhibetur, ne cibi relative majori quantitate, duri, pingues, vel male cocti exhibeantur; alimentum maxime congruum constituit decoctum seu jus carnium gelatinosum, non pingue cum pane bis cocto, tardius dentibus jam pluribus existentibus caro tenera, mollis tam cocta quam assata, nunquam solus victus vegetabilis commendari debet. Pro potu concedimus praeter aquam cerevisiam bonam, vel in ejus defectu dosi parva vinum bonum aqua dilutum. Aëris, in quo insans versatur, ratio summa ha-

benda est, ut sollicite arceantur causae omnes aerem quoquo modo corrumpere valentes; munditia summa observata procuretur aer purus et siccus; propterea rhachitici infantes, in primis aestate tota, quantum fieri potest, in aere puro, libero conserventur. Maxime nocet rhachiticis utinam, defectus motus muscularis, ideo jam teneri infantes portari debent; admonemus tamen, ne infantes semper tantum in uno latere portentur, tunc diathesi praesente facile curvatura enascuntur; praestat tales infantes currui parvo imponere, ubi in dorso jacentes facile moveri possunt, tempore minus favente in cubili, tempore vero sicco, moderate calido in aere libero. Quamprimum infans et puer motus activos perficere valet, in iis minime impediendus est, incessus eorum primus in manibus et pedibus more quadrupedum motus valde salutaris, quo etiam curvatura incipiens spinae dorsi sanatur; membris firmioribus redditis exercitia diversa gymnastica maxime conferunt ad morbum hunc praecavendum et curandum.

Vitae regimen nunc laudatum ad curam perficiendam tantae utilitatis est, ut sine illo pharmaca parum praestent, non raro solo vitae regimine congruo sanatur morbus felicititer, quod docent curae complures per discipulos zelosos Mesmeri et Hahnemann i peractae. Saepe tamen vitae regimen solum ad scopum desideratum haud deducit, quem concurrente pharmacorum usu congruo assequimur. Remedia specifica anti-rhachitica hue usque nulla habemus, licet morbus ipse sit specificus. Commendabatur quidem ut specificum radix rubiae tinctoriae, forte quod remedium blandissime roborans effectum exerat conspicuum in ossa, quae secundum experimenta in animalibus repetita ab usu interno radicis hujus colore rubro tinguntur. Secundum observationes tamen recentiores exigua est efficacia pharmaci. Cum in urina rhachiticorum acidum phosphori majori quantitate reperitur, ructus, halitus et perspiratio cutis acidum odorem spargunt, cum ossa per acidum emolliuntur, ideo defendebatur sententia, causam proximam rhachitidis esse acidum in organismo excedens; propterea com-

mendabatur ad curam perficiendam alcali, in primis carbonas lixivae, quod remedium non secus ac bicarbonas sodae in pluribus casibus salutarem effectum exeruit, dum nempe in tubo alimentari saburra acida generata est. Specificum tamen dici nullo modo potest, occurunt enim casus, in quibus acida utilitatem majorem praestant; ita Lentini et recentissime Neumann laudant acidum phosphori, Portal maxime commendat mercurium sublimatum corrosivum, cuius virtutem comprobat multis observationibus, quod tamen remedium facile noxiū nunquam praescribimus, nisi rhachitis fuerit vere syphilitica, qualis observatur non raro in adultis, quorum osteomalacia semper est symptomatica, ideo requirit therapiam diversam pro diversitate morbi protopathici.

Rhachitis infantum pro causa semper agnoscit debilitatem organorum digestionis et chylificationis; ideo in therapia conamus semper statum organorum horum normalem reddere; saepe exordium curae suscipimus emetico, ut saburram e ventriculo evacuemus, quo scopo exhibemus tartarum emeticum, nisi aeger diarrhoea laboret, tunc enim praestat ipecacuanham dare. Saepe nulla signa deteguntur saburrae in ventriculo, sed tantum in tubo intestinali existentis, tunc purgans medicina requiritur, et maxime congrua habetur in radice rhei chinensis, cuius grana duo usque quatuor infantibus praescribimus; nec rara est necessitas sub cura ulteriori morbi jam emeticam, jam purgantem medicinam exhibendi; nunquam tamen evacuantia ea diu continuari debent, nam tunc manifeste nocent, morbum potius exaltant. Saburra evacuata conamus pharmacis roborantibus energiam vitae languentem erigere; infusi florum chamomillae vulgaris vel herbae melissae, vel herbae menthae crispae, vel foliorum aurantiorum unciis tribus addimus extracti cardui benedicti, taraxaci, vel centaurei minoris, absinthii, millefolii vel trifolii fibrini grana sex, successive scrupulum semis usque unum, ut inde quater per diem uno cochleari exhibeatur. Aliquantum efficaciam majorem habent radix acori, enulac et gei urba-

ni. Subinde usum amarorum et blande aromaticorum cogimur interrumpere ob febrim evolutam cum horripilatione, quam excipit calor intensor cum inquietudine, dyspnoea, cephalaea, siti magna, anorexia etc. quae febris diversam naturam habens diversam desiderat therapiam; saepe est gastrica et requirit evacuationem saburrae, saepe tamen etiam post evacuationem continuat febris, quae secundum observationes hic factas tantum per sanguificationem mutantur cum irritatione cordis ac arteriarum majori sustentatur, et gravioribus etiam symptomatis stipata tollitur spatio septem usque quatuordecim dierum per acidu[m] mineralia, frequentissime per acidum vitrioli dilutum, vel liquorem acidum Halleri in decocto radicis salep cum syrupo rubi idaei.

Dum rhachitis post adhibita alcalia vel subinde acida et amaro-aromatica blandiora, ob statum asthenicum eminentiorem adhuc diutius perdurat, tunc methodus roborans, cum cautela necessaria ultro continuari debet; tunc saepe praeparata corticis cinchonae proficia sunt; in casibus tamen longe plurimis optimam medicinam possidemus in ferro, cuius diversa praeparata, jam limaturam ferri non rubiginosam, jam tinturam martis pomatum, jam extractum martis pomatum, jam aethiopem martialem, jam carbonatem ferri, jam flores salis ammoniaci martiales, jam sulfatem ferri artefactum, praescribimus. Praeter remedia interna necessarius est usus etiam externorum; cutis aegri rhachitici quotidie aqua frigida ablui et post lotionem moderate fricari debet. In morbo ad gradum majorem evecto cutis functio est torpidior, in glandulis subcutaneis induatur sebum, quod pressione expressum formam habet parvi vermiculi, dicuntur comedones; quod symptoma molestum tollitur cutim mundando; infans imponitur balneo tepido cum decocto furfurum mixto, dein cutis ejus illinitur sapone; frictione moderata adhibita hoc remedio simpliciali aliquoties repetito comedones dissipantur. Ad energiam cutis et muscularum exaltandam indicatae sunt lotiones cum viño, cremato, spiritu aromatico, balnea roborantia ex ali-

mine et globulis martialibus, vere et autumno e decocto foliorum et ramorum salicium; aestate superveniente remedium longe efficacius habemus in aqua frigida, qua infantes et pueros rhachiticos, initio tantum quotidie ablui-mus, postquam lotioni huic adsueta sunt, illos quotidie per quinque usque decem minuta aquae frigidae immergi-mus. Usus aquae frigidae cum vitae regimine roborante, motu corporis in aëre puro sicco, et cum praeparatis mar-tialibus constituunt medicinam efficacissimam, qua rhachi-tides jam cum curvaturis et hydropibus nexae felicissime sanatae sunt.

§. 65.

Dum rhachitis chronica neglecta est, tunc frequenter symptomatibus morbi evanidis remanent ossium curvaturae variae, contra quas frequentissime suscipitur cura chirur-gica per fascias et machinas diversas, quarum applicatio sine ratione sufficienti suscepta est saepe saepius magis noxia, curvaturae sub usu earum augentur, et per compres-sionem partium mollium, viscerum diversorum morbi novi inducuntur; ideo antequam usum auxiliorum chirurgicorum commendamus, naturam individualem curvaturae eruere de-bemus. Occurrunt curvaturae tales plurimae in spina dorsi et in extremitatibus, causasque agnoscunt multiplices, ut rhachitidem, rheumatismum, arthritidem, syphilidem, scor-butum, serofulas, efflorescentias cutis habituales suppres-sas, profluvia retenta, quae causae partim in ligamenta, musculos, partim in cartilagines et ossa agunt, processum dynamico-vitalem eorum immutant, ut functionibus suis minus idonea reddantur; in tali casu curam dirigimus in morbum protopathicum. Saepe ille jam remotus est, effectus tamen remansit; saepe post inflammationem, rarius acu-tam, frequentius chronicam, per quamcunque causam pro-vocatam in spina dorsi remanet suppuratio, vel in cartila-gine, vel in osse ipso, et inde producitur curvatura spinae dorsi, frequentissime conjuncta cum paresi vel paralysi ex-tremitatum inferiorum, quam causam post Pott etiam dis-

quisitiones recentes comprobarunt, in tali casu fasciae et machinae nihil prosunt, manifeste nocent; feliciter persistit cura per fonticulos, ulcera artificialia ad utrumque latus spinae dorsi applicita, subinde per emplastrum vel unguentum antimoniale, subinde per applicationem moxae aut ferri carentis. Neque tamen haec cura contra omnes curvaturas indicata est; saepe eae inducuntur tantum per consuetudinem malam, quod musculi unius lateris magis exercentur, ideo robustiores evadunt et ossa magis ad unum latus detrahuntur, dum musculi alterius lateris semper debiliores subinde quasi paralytici redduntur, atque tunc cura curvaturae perficitur muscularum statum normali reducendo; quem in finem maxime inserviunt exercitia gymnastica diversa, quibus musculi omnes in activitatem ponuntur; ideo in pueris vegetis curvaturae sunt longe rariores, quam in puellis, quae includuntur in cubicula, cogunturque dum sedere et brachio in primis uno laborare. Tales curvaturae spinae dorsi incipientes saepe saepius felicissime sanantur, si admonentur aegri, ut in lecto jaceant duriori horizontaliter extensi; in specie quotidie mane in lecto duro aequabiliter complanato jaceat aeger in dorso per horam, postea invertatur in abdomen, et brachiis aequabiliter sursum versus extensis jaceat iterum per horam; tunc ex consilio a Hufeland dato totum dorsum abluatur moderate fricando cremato vel spiritu quodam aromatico; ubi curvatura in majori gradu praesens lotioni huic haud cedit, consilium sequimur a Jörg datum, lateri dorsi in quo musculi relaxati quasi semiparalytici sunt, applicantur remedia stimulantia, ut lotiones vinosae, spirituosa, unguenta cum spiritu salis ammoniaci caustico, camphora, aethere vitrioli, subinde electricitas vel galvanismus; lateri vero opposto, in quo musculi hypererethismo laborant, applicantur emollientia, axungia porci, oleum blandum olivarum vel amygdalarum dulcium, unguentum althaene; subinde adduntur et narcotica, ut unguentum cicutae, hyoscyami vel oleum hyoscyami coctum. Non raro sola inunctio laudata cum situ longiori tempore conservato

ad curam perficiendam sufficit; saepe tamen in usum vocari debent etiam fasciae et machinae, quarum ope ossa in situm normalem reducuntur, et musculorum relaxatorum actio suppletur; sed attentio magna adhibenda est, ut machinae scopo suo respondeant, quae pars medicinae practicae hodie a multis successu felici colitur, inter quos maxime excellit Haine Würzburgensis.

C. H. A. Roy, *commentatio anatomico-chirurgica de scoliosi*.
Lugd. Batav. 1774.

P. Pott, *remarks on that kind of palsy of the lower Limbs, which is frequently found to accompany a curvature of the spine*. London. 1770. 1782.

— Über die Lähmung der untern Gliedmassen bei Krümmung des Rückgrathes. Leipzig. 1786.

A. J. Venel, *description de plusieurs nouveaux méchaniques propres à prévenir, borner et même corriger les courbures latérales et la torsion de l' épine du dos*, Paris. 1788.

P. F. F. Desbord eau'x, *nouvelle orthopédie, ou précis sur les disformités que l'on peut prévenir ou corriger dans les enfans*. Paris. 1805.

J. C. G. Jörg, *über die Verkrümmungen des menschlichen Körpers, und eine rationelle und sichere Heilart derselben*. Leipzig. 1810.

— Die Kunst die Verkrümmungen der Kinder zu verhüten, und die entstandenen sicher und leicht zu heben. Leipzig. 1816.

J. Copland, *observations on the symptoms and treatment of the diseased spine*. London. 1815.

— Beobachtungen über die Symptome und die Behandlung des krankhaften Rückgrathes. Pest u. Leipzig. 1819.

C. Wenzel, *über die Krankheiten am Rückgrathe*. Hamburg. 1824.

J. Shaw, *on the nature and treatment of the distortions, to which the spine and the bones of the chest are subject*. London. 1824.

— Über die Verkrümmungen, welchen der Rückgrath und die Brust unterworfen sind. Weimar. 1825.

C. G. Pravaz, *méthode nouvelle pour le traitement des déviations de la colonne vertébrale*. Paris. 1827.

C. La chaise, Précis physiologique sur les courbures de la colonne vertébrale. Paris. 1827.

B. B. Vogel, über die Erkenntniss und Heilung der Rückgraths-Verkrümmungen mit Lähmung, vorzüglich der Füsse. Nürnberg. 1832.

CACHEXIAE CUM PRAEDOMINANTE STATU AB.
NORMI SANGUINIS ET LIQUIDORUM SECRETORUM.

S C O R B U T U S.

§. 66.

Scorbutus est illa cachexia peculiaris, quae se manifestans per languorem muscularum magnum cum gingivis spongiosis tumidis, et sanguinem plorantibus, cum petechiis in cute, et haemorrhagiis e variis corporis partibus contingentibus, inducit per statum sanguinis ita abnormem, ut plasticitate ejus imminuta magis resolutibilis, charactere arterioso majori parte privatus, in gradu eminentiori venosus, oxygenio imminuto, carbonio abundans, et ideo magis nigricans sit; maxime accedit qualitate sua sanguis ad eum, quem in febri putrida observamus, ideo vocatur etiam febris putrida, scorbutus acutus seu febrilis; in scorbuto enim febris haud observatur, nisi dum morbus stadium ultimum attigit. Morbus hic, causis ejus in societate hominum semper praesentibus, jam antiquissimis temporibus observatus fuit, reperiturque descriptio ejus aliqua in operibus Hippocratis, sed valde imperfecta; nonnisi seculo XV et XVI, itineribus per Oceanum latum longis susceptis, scorbutus incepit frequentior evadere, in primis in navibus, nec rarus in continente, et ideo distinguebatur scorbutus duplex, maritimus et terrestris, quae distinctio essentialis non est, symptomata enim eadem reperiuntur in utroque, tantum quod in mari causae frequentiores et plures

occurant; ideo in genere scorbutus maritimus frequentior et intensior est.

- G. G. Richter, programma in Hippocraticas scorbuti antiquitates. Göttingae. 1744.
- J. Lind, a treatise on the scurvy. London. 1752, 54, 55, 75.
— Abhandlung vom Scharbocke. Riga. 1775.
- A. Addington, essay on the sea-scurvy. Reading. 1753.
- C. Bisset, a treatise on the scurvy. London. 1755.
- J. A. Bona, tractatus de scorbuto. Veronae. 1761.
- D. Macbride, a historical account of a new method of treating the scurvy at sea. London. 1767.
- N. Hulme, libellus de natura, causa et curatione scorbuti. Londoni. 1768.
- G. V. Zeviani, sopra lo scorbuto. Verona. 1770.
- C. L. Hoffmann, vom Scharbock, Münster. 1782.
- F. Milman, Enquiry into the source, from whence the symptoms of the scurvy and of putrid fevers arise. London. 1783.
- Untersuchung über den Ursprung der Symptome des Scorbuts und der Faulfeber. Berlin. 1795.
- H. Bacheracht, praktische Abhandlung über den Scharbock. Petersburg. 1786.
- T. Trotter, observations on the Scurvy. London. 1786, 92.
— Neue Bemerkungen über den Scorbust. Leipzig. 1787.
- D. Spediciati, Theoretische und praktische Beschreibung des Scharbocks. Petersburg. 1787.
- J. Marsofszky, Diss. de scorbuto. Vindobonae. 1788.
- F. Thomson, an essay on the Scurvy. London. 1790.
- A. N. Aasheim, Diss. de scorbuto, secundum theorias recentiores physico-medicas explicando. Hafniae. 1797.
- J. C. Jacobs, traité du scorbute en général. Bruxelles. 1802.
- J. G. Conquelin, mémoire sur le scorbute. Paris. 1803.
- F. Schraud, Abhandlung von der Verbindung der Lustseuche mit dem Scharbok, und dessen Heilungsart. Wien. 1791.
- Schraud, Nachrichten vom Scharbock in Ungarn in Jahre 1803.
Wien. 1805.
- L. M. J. Gambray, Diss. sur le scorbute. Paris. 1815.
- J. W. Mac-Carthy, Diss. sistens scorbuti theoriā. Vindobonae. 1822.

§. 67.

Ut morbum cognoscere valeamus attentionem omnem dirigimus in symptomata ejus, e quorum evolutione successiva stadia morbi tria distingui possunt:

Stadium morbi primum seu inchoationis se annunciat per lassitudinem et dedolationem musculorum insolitam ita, ut motus omnis corporis non nisi cum difficultate perficiatur; ideo fugit aeger labores, quaerit otium; animus evadit morosior et tristior; color cutis laetus et turgor vitalis successive disparent, facies redditur pallida, collapsa, subinde oedematose tumida, labia oris pallent, non raro livent, oculi languidi cinguntur annulo jam virescente, jam fuscescente, jam livescente; appetitus cibi imminentur; respiratio fit aliquantum difficilis; halitus oris foetet, mox incipiunt gingivae tumere, molles spongiosae reddi et ad pressionem sanguinem fundere; nisi ulteriori evolutioni morbi limites ponantur, comparent in cruribus maculae jam minores jam maiores, virescentes, livescentes, a gutta sanguinis infra cutim effusa, dicuntur echymomata, purpura, petechiae scorbuticae, pedes evadunt rigidi, sub motu dolent, in primis in genibus, quae tumida et dura tanguntur; febris nulla observatur, ita ut pulsus arteriarum sit potius mollis, debilis et tardus. Durat hoc stadium per decem usque quatuordecim dies et transit in

Stadium secundum, nempe morbi incrementum, sub quo symptomata priora omnia augentur et nova accedunt; debilitas muscularis jam tanta est, ut aeger lecto affixus esse debeat, dum enim ambulare tentat, titubat, visus et auditus obfuscantur, vertigine corripitur, in animi deliquium incidit et corruit; petechiae prius tantum in cruribus conspicuae jam nunc extenduntur per cutis partem maiorem, ut plurimum latae et lividae; gingivae tumidae, spongiosae, praerubrae lividae cum vasis varicose extensis etiam sine pressione sanguinem fundunt; nec ad gingivas solas limitata est affectio scorbutica, sed extenditur per

partem majorem membranae mucosae cavi oris, cavi narium, tracheae, bronchiorum, ventriculi, tubi intestinalis, et organorum uropoëticorum; propterea observantur sub hoc stadio haemorrhagiae e diversis illis partibus, stomorrhagia, epistaxis, pneunionorrhagia, haematemesis, diarrhoea cruenta, metrorrhagia et haematuria. Subinde post influxum potentiarum nocentium provocantur inflammations topicae, ut ophthalmia, peripneumonia charactere peculiari praeditae, vere scorbuticae; atque sub tali complicatione observantur etiam symptomata febrilia, secus sub hoc stadio nedum essentialia. Sanguis sub hoc stadio partim per haemorrhagias, partim ob inflammationem praesentem per venae-sectionem evacuatus est niger, difficulter coagulatur, et format placentam mollem, friabilem, nulla crusta inflammatorya tectam. Talis sanguis praeter haemorrhagias memoratas effunditur etiam in cuti infra epidermidem et sic enascuntur maculae, ecchymomata, purpura seu petechiae; effunditur etiam in telam cellulosam profundius sitam, inde partes aliquae evadunt tumidae, rigidae, et non raro dolorificae; effunditur sanguis subinde in ipsa ossa, quae tunc redduntur dolorifica et magis fragilia. Excurrexit haec morbi periodus per decem usque quatuordecim dies, dein sequitur

Stadium tertium, acme seu stadium colligationis, sub quo evolvuntur symptomata febris cum charactere septico nervoso; debilitas muscularis jam adeo increscit, ut aeger ne quidem in lecto se mouere valeat; haemorrhagiae redundunt profusae, et sanguis evacuatus foetet; gingivae, imo totum cavum oris, gangraenescunt, atque ex ulceribus foedis ichorem foetidum sanguine mixtum fundunt; in cuti etiam, ubi maculae lividae erant, ulcera spongiosa, livida, sordida, ichore in foetidum cadaverosum secerentia efformantur; aeger jacet utplurimum soporosus cum respiratione semper magis difficultiori, abdomine meteoretice extenso, cuti jam oedematose, jam emphysematice tumida; sub evacuationibus inscie contingentibus, deliriis taciturnis aeger utplurimum pacatus extinguitur.

Praeter symptomata enumerata observantur non raro etiam alia, quia scorbutus complicatur cum aliis morbis jam acutis febrilibus, jam chronicis, ut in littoribus Norvegiae cum syphilide, describitur sub nomine R a d e s y g e seu le- prae Scandinaviensis.

§. 68.

Ex symptomatibus attenta mente collectis et combinatis scorbutum praesentem facile cognoscere, et ab omni alio morbo distinguere valemus; ut tamen natura ejus individualis nobis clara evadat, oportet etiam causas exquirere. Dispositione peculiari ad morbi evolutionem necessaria praediti sunt plurimi homines, nam plurimi potentissimis morbum generare valentibus expositi in scorbutum incident, aliqui citius et faciliter, alii tardius et difficiliter. Ita relate ad sexum frequentius occurrit morbus in sexu virili quam foemineo, forte quod viri frequenter expositi sunt causis excitantibus; relate ad aetatem infantes et pueri rarissime afficiuntur scorbuto universalis, sed corripiuntur alio peculiari topico, vocatur scorbutus labialis, cancer aquaticus, nomina; infantes evadunt pallidi et languidi, vexantur terminibus, vomitu, alvo obstipa vel diarrhoea, emaciantur; et his symptomatibus aliquo tempore observatis in parte una gingivae enaseitur tuberculum, quod inflammatur, suppurat, exulceratur, gangraenescit, et ulcer depascens, ichorem foetidum fundens, hinc inde crusta nigricante tectum extenditur late per cavum oris, consumit partes molles, non raro perforat buccam, ipsa ossa maxillae inferiores et superioris carie destruuntur, et sic miseri infantes post impeditam masticationem, deglutitionem et loquela exhausti succumbunt.

Causae excitantes morbi adnotantur: aer humidus et frigidus, propterea per itinera maritima versus partes septentrionales suscepta scorbutus frequentissimus fuit; sed etiam in mariibus meridionalibus, sub ipsis tropicis, non raro locum habuit; cum morbo generando maxime favet aer exhalationibus diversis hominum animaliumque corruptus,

ideo dum in navibus homines copiosi accumulati ad spatium angustum reclusi sunt, cura munditiae neglecta, aëris renovatione iutemissa, scorbutus evolvitur. Simili ratione etiam in continente in carcerebus male coordinatis morbus non raro generatur; ita homines egeni in urbibus et pagis, dum hyemis tempore majori numero angustum cubile inhabitant, aërem omnimode corruptunt, et in morbum incidentur. Non raro accusatur defectus alimentorum et potulentorum, in primis carnis recentis et cibi vegetabilis recentis; si homines cogantur solis piscibus vel carnibus sale conditis, aëre vel sumo induratis, vel cibo vegetabili et animali corrupto uti; si ad sitim extinguendam sola aqua foetida, vel maritima nauseosa concessa est; ad has causas concurrunt defectus motus muscularis, otium nimium, animi affectus ingrati, tristitia, moeror, timor, quae causae saepe potenter agunt in navibus maritimis, in carcerebus, castris, in locis obsidione inimica cinctis et in exercitu devicto. Refertur a quibusdam etiam contagium, quod tamen sub stadio morbi primo et secundo locum non habet, sed in stadio tertio exhalationes aegri aërem ita corruptunt, ut in homine alio praedisposito morbus similis provocari possit.

§. 69.

Prognosis varia est pro diversa constitutione individuali aegri, pro diversa intensitate et complicatione morbi; donec scorbutus in primo et secundo stadio constitutus est, non obstantibus symptomatibus gravibus restitutio sanitatis possibilis est, remotisque potentissimis nocentibus non raro autocratia naturae sola sufficit; sed postquam morbus in tertium gradum evectus est, evolutis symptomatibus febris cum charactere septico nervoso, ibi per autocratiam naturae nunquam et etiam per artem difficulter salvatur aeger; adhuc magis infensa est prognosis, dum scorbutus complicatur cum alio morbo, ut syphilide, quae complicatio in casibus sporadicis subinde producitur arte, dum aegro syphilide affecto, dispositione scorbutiea praesente mercurius dosi ex-

cessiva exhibetur. Morbus ergo nunquam negligendus, sed semper therapia rationali impugnandus est.

§. 70.

Maximi momenti est cura prophylactica, ut evolutio morbi molesti et sibi relict, non raro letalis, in navibus bellicis et aliis maritimis, in carcerebus, castris et urbibus obsessis impediatur; versaturque haec cura in arcendis causis omnibus scorbutum generare valentibus; ideo sollicitudo adhibenda est de aëre moderate calido, puro et sicco conservando, mundities summa procuranda, cuncta exhalationibus suis aërem corrumpere valentia removeantur; nee vestimenta humida et sordida diu in cuti refineantur; in locis homines multos recludentibus ad puritatem aëris conservandam praeter ventilationem instituatur fumigatio vapore aceti, vel vapore acidi nitrici, muriatici vel chlorii. Simul procurari debet, ut alimenta et potulenta necessaria sufficien-
ti qualitate et bona^e quantitatis semper adsint; cum in longis itineribus maritimis et in urbibus obsessis defectus carnis et cibi vegetabilis recentis saepe inevitabilis sit, ideo surrogata in usum vocari debent; cibi animalis surrogatum optimum possidemus in gelatina tabulata, quae paratur partim e carnis, partim ex ossibus, et diu conservari potest; quantitas ejus exigua aqua calida soluta cum pane bis cocto mixta cibum largitur bonum et nutrientem; surrogatum cibi vegetabilis recentis optimum est brassica capitata alba acetata, quae diu conservari potest, et cuius virtutem anti-scorbuticam in primis laudavit Cook, qui primus ita felix fuit, ut licet itinera instituisset maritima longa et diu durantia, in omnes partes oceanii, detexissetque multas insulas novas, aegrum tamen nullum habuit scorbuto affectum, quod pro parte saltem cibo salutari adscribi potest; nam praeterea conabatur scrupulose aërem purum et siccum conservare, et causam unam potentem scorbuti, otium nempe removere: ideo omnes in navi praesentes debuerunt corpus suum continuo motu et labore exercere. Aqua praeterea recens vel saltem bene conservata tanⁱ in navibus, quam urbibus obsessis, in primis ne-

cessarii est, quod hodie facile praestari potest per dolia quorum superficies interna crusta carbonacea inducta est, in his enim aqua per plures etiam annos incorrupta servatur. Praeter aquam necessaria sunt etiam alia potulenta, ut cerevisia bona, vinum, liquores destillati spirituosi, cremenatum bonum, quae potulenta tantum dosi moderata quotidie distribui debent; per ea et vigor corporis conservatur, et animus erigitur, sive affectuum deprimentium, ut tristitia, metus, et terroris in mari, castris ac urbibus obsessis frequentium noxiis influxus in organismum imminuitur. Per haec momenta ad vitae regimen spectantia non tantum impeditur evolutio scorbuti, sed nou raro evolutus etiam morbus sanatur; exempla plura referuntur, scorbutum in nave jam ita saevisse, ut phures mortui fuerint, dum aegri ad continentem appulissent, metu omni per fluctus sepeliri liberati, carne et aqua recenti pura uti potuissent, a morbo gravi sine omni pharmaco restitutos esse; in morbo tamen proiecto solum vitae regimen laudatum haud sufficit, sed cura etiam alia necessaria est.

§. 71.

Cura anti-scorbutica pro casu individuali modificari debet; sic subinde in stadio morbi primo et secundo per influxus potentiarum nocentium excitantur inflammations topicae etiam intensiores, atque tunc sanguinis evacuatio est necessaria, summa tamen cum cautela suscipienda, ut plurimum tantum topica, nam natura morbi scorbutici sanguinis evacuationes minime fert, corruptela sanguinis specifica cum debilitate connexa incrementa capit terribilia; ideo alia remedia sunt necessaria, quae virtute peculiari pollent, statum sanguinis scorbuticum corrigere; talia sunt:

1-mo. Acida, et quidem vegetabilia; acetum efficaciam minorem habet, magis proficiunt succi rubi idaei, berberum, ribesiorum, cerasa acida et poma acida, in primis autem succus citri, cuius efficacia tanta observata est, ut cum Bang nonnulli auctores virtutem anti-scorbuticam specificam ei tribuant talem, qualem possidet cortex cincho-

nae contra febrim intermittentem. Adhibetur succus expressus aqua et saccharo mixtus; vel secundum Lindi vini albi libra una miscetur cum succi citri et sacchari albi ana unciiis duabus, et sumatur omni bihorio medio vasculo coffeaceo. In defectu acidi vegetabilis cum utilitate adhibentur etiam acida mineralia, ut acidum nitri, salis, acidum muriaticum oxygenatum seu chloricum, acidum vitrioli dilutum, et liquor acidus Halleri, quae exhibemus in decocto hordei vel maltri molendina fracti, cujus uncias duas coquimus cum quantitate sufficienti aquae per medium horam, colatura librae unius addimus acidi mineralis drachmam semis, usque drachmam unam, sirupi rubi idaei unciam, ut omni altera hora medio vasculo coffeaceo sumatur.

2-do. Dantur plantae cruciatae, antiscorbuticae dictae, principio acri ammoniacali instructae, ut sunt herba beccabungae, cochleariae officinalis, nasturtii aquatici, radix cochleariae armoraciae, raphani rusticani, semina sinapis; e herbis recentibus exprimitur suucus, cujus uncia una, dñe tres-ve sumuntur quotidie cum jure carnium vel sero lactis vel lacte. Radix cochleariae armoraciae et raphani, partim rasae, partim in taleolas scissae cum sale, aceto, oleo, subinde et pipere, semen sinapis cum musto forma cibi adhibentur; non raro praeparatur cerevisia vel vinum medicatum; pro aegro solitario praescribimus radicis cochleariae armoraciae, raphani, ana uncias duas, seminum sinapis unciam semis, superfundantur cerevisiae vel vini boni librae duae usque quatuor, conservetur loco frigido per quadraginta octo horas, vas saepius exagitando, colatura dein detur omni bihorio medio vasculo coffeaceo sumenda. Dum in morbo epidemicō numerus aegrorum est major, praeparatur haec medicina anti-scorbutica majori quantitate ad plures etiam urnas ita, ut ad urnam unam cerevisiae vel vini boni admisceantur radicis cochleariae armoraciae, raphani ana librae sex, seminum sinapis libra semis usque unam, et postquam per octo dies stetit, distribuitur aegris quotidie libra una.

3-tio. Propter debilitatem praesentem indicata simul sunt roborantia amaro-aromatica, ut herba absinthii, centaurei minoris, trifolii fibrini, radix gentianae, baccas juniperi, radix acori, in majori gradu debilitatis etiam cortex cinchonae, et praesentibus symptomatibus febris cum charactere septico, nervoso simul liquores aethereos et camphoram in auxilium vocamus. Saepe in morbo jam gravissimis symptomatibus stipato, testante in primis Neumann, laudatis remediis longe majorem virtutem exerunt foeces cerevisiae, cuius unciae sex usque duodecim praescribuntur adulto, ut sumatur omni biborio duobus vel tribus cochlearibus, et hoc remedio unico per unum alium-ve diem adhibito, symptomata gravissima morbi terribilis disparent.

Praeter remedia interna saepe necessaria sunt etiam externa; cutis debet mundari, ablui aqua tepida vel potius aceto tepido, vel acido minerali sufficienti quantitate aquae diluto, vel solutione chloratis calcis vel sodae. Utiliter adhibentur etiam lotiones cum vino calido, cum spiritu vini sea cremato, cum spiritu aromatico et spiritu vini camphrato. Tumores scorbutie in articulis, in primis in genibus immobilitatem, rigiditatem, non raro etiam dolores inducentes resolvuntur per fomenta aromatico-vinosa. Ad ulceras scorbuticas mundandas saepe sufficit succus citri ope lintei earpti applicitus, in defectu ejus praescribimus acetum aromaticum cum camphora vel fomenta aromatico-vinosa, vel unguentum elemi cum pulveribus carbonis vegetabilis, vel oxymel aeruginis, quibus secundum Neumann majorem virtutem exerunt foeces cerevisiae, sequenti modo praeparatae: rasura solani tuberosi vel radicis rapae vel raphani miseetur cum foecibus cerevisiae, in locum calidum reponitur, ut fermentationem subeat, et mixtura fermentans calida instar cataplasmatis applicatur partibus tumidis et exulceratis.

Peculiarem attentionem requirunt gingivae scorbuticae, contra quas in minori gradu praesentes utiliter adhibentur pulveres carbonis vegetabilis vel soli vel cum pulvere herbae salviae vel radicis acori mixti, os dein eluendo spiritu vi ni vel spiritu cochleariae; ulceribus praesentibus maxime

prostrea sunt acida mineralia, in primis acidum salis, vel acidum muriaticum oxygenatum, vel chloras calcis aut sodae, quorum drachmam unam solvimus in libra una aquae. Dum exulceratio conspicitur devastans gangraenescens, tunc post Swieten adhibetur acidum salis concentratum, quo superficies ulceris illinitur, vel acidum pyrolignosum, vel solutio concentrata chloratis calcis vel sodae, vel secundum Neumann foeces cerevisiae,

Symptomatibus morbi per therapiam rationalem individualem remotis remanet saepe debilitas longiori tempore, quae optime tollitur per vitae regimen roborans, subinde tamen etiam pharmaca amara, tonica vel amaro-aromatica necessaria sunt.

C. G. Neumann, Specielle Pathologie und Therapie der chronischen Krankheiten des Menschen. Berlin. 1832, S. 20.

CHLOROSIS.

§. 72.

Chlorosis est cachexia sexui foeminino in primis virginibus propria, quae se manifestat colore cutis peculiar modo pallido cum laxitate, flacciditate et torpore musculari nimio, cum dyspepsia, dyspnoea, somnolentia, animi tristitia et anomaliis fluxus catamenialis, qui in plurimis casibus est suppressus, retentus vel saltem parcior, magis albus quam ruber. Symptomata haec observantur cum diversis statibus morbosus connexa, ideo nonnulli auctores, ut Harless, distinguunt plures species chlorosis, nempe chlorosim virginum; chlorosim scorbuticam, ubi pallor cutis adest cum torpore musculari et haemorrhagiis e diversis partibus; et chlorosim cardiacam, quae a vitio organico cordis ut dilatatione ventriculorum, aneurysmate cum tenuitate parietum connexo inducitur. Non pauci asserunt, chlorosim etiam in viris occurtere, nam etiam in iis post febrim intermitter-

tem diu-durantem, post profluvia, ioprimit post haemorrhagias, evolvitur pallor cutis cum torpore musculari magno; haec tamen symptomata sola non constituant chlorosim, cuius symptomata omnia tantum in puellis post annos pubertatis vel in mulieribus junioribus, antequam gravidae evadunt comparent; ideo vocatur morbus cacoehymia vel cachexia virginum, a nonnullis etiam febris amatoria, cum causa ejus excitans subinde sit amor infelix; est tamen haec denominatio minime congrua, nam febris non est in chlorosi symptomata essentialis, et amor saepe tam parum confert ad morbum, ut aegrae potius sint frigidae et erga sexum virilem summe indifferentes.

Metzger, Diss. de ictero albo virginum. Tübingae. 1677.

Dorsey, Diss. de chlorosi. Edinburgi. 1776.

Anderson, Diss. de chlorosi. Ultrajecti. 1780.

Meckel, Diss. de chlorosi. Halae. 1796.

Neumann, Diss. de chlorosis natura atque medela. Francofurti. 1798.

Hahnemann, Diss. de chlorosi. Halae. 1804.

R. I. Lucas, Diss. de chlorosi. Parisiis. 1811.

B. Lechleitner, Diss. de chlorosi. Erlangae. 1812.

Speranza Della chlorosi. Milano. 1828.

I. Marmoross, Diss. de chlorosi. Vindobonae. 1843.

F. G. L. Rost, Diss. de chlorosi. Lipsiae. 1815.

§. 73.

Nunquam hic morbus aegram subito comprehendit, sed semper praecedunt prodroma per plures septimanas, imo menses: functio organorum digestionis et chylificationis perturbatur, appetitus cibi imminentur, digestio redditur molesta ita, ut post cibum etiam minori quantitate ingestum aegra experiatur sensum ponderis, pressionis, doloris, jam in regione epigastrica, jam umbilicali, jam hypochondriaca alterutra cum ructibus, flatulentis, alvo frequentissime obstita, raro diarrhoea; antea vegeta et alacris evadit in motibus languida, tarda ita, ut post omnem motum cito defa-

tigetur; color faciei laetus mutatur ita, ut per vices reddatur pallidior, rubore tamen revertente; animus antea hilarius evadit tristis, societatem fugit, solitudinem quaerit; accusat dolorem capitis per vices recurrentem, iterum disparem, subinde vertiginem; fluxus catamenialis jam praesens redditur parcior, per menses plures emanet; non obstante somnolentia solito majori somnus antea tranquillus evadit inquietus. Symptomata haec stadium morbi incipientis seu prodromorum constituentia non raro causis nocentibus remota disparent, quin morbus ulterior evolvatur, sed influxu potentiarum nocentium perdurante comparet.

Stadium secundum, morbus nempe perfecte evolutus, cuius primum symptomatum est pallor cutis singularis, jam albus ut cretae vel cerae albae, jam albo-flavescens, ideo vocatur nonnullis icterus albus; subinde est color albo-vel flavo-virescens, qualis frequentius observatur in Anglia, et vocatur morbus viridis: pallor hic magnus appetet in primis in labiis oris, in superficie interna palpebrarum, in ipsa lingua ac gingivis; raro etiam observatur rubor in genis, tantum transitorius, sub motu corporis majori, sub animi affectu vel paroxysmo febrili; oculi sunt languidi et facile lacrymas fundunt, frequenter annulo livescente cincti; debilitas muscularis semper magis increvit ita, ut dum inotum perficere majorem conantur, dyspnoeam, cordis palpitationem, vertiginem, sensuum obfuscationem experiantur, et facile in animi deliquia incident; pulsus in genere est parvus, mollis et tardus, tantum dum irritatio major accedit frequentior; status tamen febrilis non pertinet ad symptomata essentialia chlorosis, sed per influxum potentiarum nocentium potest etiam in chlorotica aegra febris evolvi, frequentissime mitior, catarrhalis, gastrica vel rheumatica, subinde intermittens, rarissime intensior inflammatoria. Viri quidem eximii docuerunt, chlorosim dari inflammatiorem, cum putaverint, retentionem fluxus catamenialis esse semper morbum eundem cum chlorosi; in puellis nempe plethoricas et in mulieribus junioribus bene nutritis subinde retinetur fluxus catamenialis ob statum hypererethisticum, ener-

gicum, ad inflammatorum accidentem uteri, cui se adjungit status subinflammati cordis, unde evolvuntur cutis pallor, musculorum languor et cordis palpitatio, proin symptomata chlorosis et quidem acutae inflammatoriae, qui statutus morbosus a chlorosi vera valde distinctus est; in ea enim nec inflammatio, nec febris observantur, sed potius status dynamicus est semper asthenicus; omnia symptomata indicant debilitatem veram, quae pro parte cum hypercinesia juncta est, ideo experiuntur aegrotae non raro dolores lacerantes in extremitatibus, saepe intensos in capite, pectore, abdomine ita, ut per observatorem minus attentum pro rheumatismo, meningitide, pleuritide, gastritide vel metritide habeantur, donec effectus sinister therapiae anti-phlogisticae adhibitae errorem gravem in diagnosi commissum patet fecerit; dolores, spasmi, fusses, dyspnoeae, cordis palpitationes, gastro-enteralgiae sunt in chlorosi transitoriae, nonnisi ab hypercinesia dependent; saepe simul adsunt etiam signa torporis, praeter languorem muscularum magnum animus aegrotae est ut plurimum tristis, solitudinem quaerit, maxime diligit somnum, vesperi citissime decumbit, et sopita jacet somno profundo, mane tarde et difficulter lectum deserit, et interdiu inter deambulandum et loquendum facile obdormit; alvus est ut plurimum obstipa, appetitus cibi subinde nullus, saepe magnus et peculiariis erga res inconsuetas, ut cretam, ceram, magnesiam, carbonem, acida, pomum citri, corticem ejus, etc. fluxus catamenialis est in statu abnormali, licet anni pubertatis jam superati sint, catamenia tamen nulla comparent, vel postquam locum habuerunt, evadunt parciora, emanent, et in vicem eorum non raro adest leucorrhoea.

§. 74.

E symptomatibus omnibus attente collectis chlorosim praesentem cognoscimus, ut naturam ejus individualem definire valeamus, conamur et causas eruere. Dispositionem peculiarem requiri convincimur ex observatione, quod morbus nunquam observetur ante annos pubertatis, nec aetate

provectiore, frequentissime intra annum aetatis decimum quartum et vigesimum sextum; nec omnes virgines morbo huic subjectae sunt, nam in una eademque familia aliquae puellae postquam annos pubertatis attigerunt chloroticae evadunt, dum aliae iisdem influxibus expositae a morbo immunes manent. Praesente tali dispositione excitatur morbus per aërem humidum variis exhalationibus inquinatum, ideo in urbibus inter latrices, ubique in locis paludosis frequentius conspicitur morbus; per defectum motus muscularis necessarii, ideo vita sedentaria continua, ad quam puellae multae in urbibus condemnatae sunt, morbum frequentiorem reddit, quam occurrit in pagis; per alimenta et potulenta minus congrua, ita si cibo animali omni excluso sola vegetabilia, ut legumina, cibi farinacei in usum convertuntur; si potu copioso tepido emolliente, thea vel cosea valde diluta utuntur; per animi affectus ingratos, ut moerorem, tristitiam, quae excitatur subinde per amorem infeliciem, per desideria diversa hand completa; subinde provocatur morbus per alios, ut febres graves, diarrhoeas, dysenterias; his causis subinde accedunt irritationes genitalium jam psychicae a phantasia exaltata per lectiones fabularum Milesiarum, per descriptions, scenas, imagines lascivas, subinde per irritationes mechanicas, ut onaniam; post harum causarum influxum in organismo puellae status dynamicus a normali recedit, functio uteri dein et cordis perturbatur, fluxus menstrualis impeditur, quantitas cruxis in sanguine imminuitur, quantitas seri multum augetur, unde pallor cutis et debilitas muscularis, quae debilitas nectitur cum statu peculiariter abnormi systematis nervosi, cum sensibilitate et irritabilitate ejus morbosa, unde cordis palpitationes, dolores, spasmi et non raro tusses violentae locum habent.

§. 75.

Prognosis morbi variat, in genere quidem licet gravioribus stipatus symptomatibus periculosus non est; non raro potentissimis nocentibus remotis, sub corporis evolutione ulteriori, per solam autocratiam naturae sanitas integra restituitur;

non raro tamen accidit, ut morbus sibi relictus semper incrementa majora capiat, amenorrhoea reddatur pertinacior, leucorrhoea molestior, subinde compareant haemorrhagiae, frequentius hydrops, et quidem cutaneus, non raro ascites, hydrothorax, hydro-pericardia et hydrocephalus, qui morbi per artis auxilia saepe tolluntur, neglecti aegram enecant, imo exempla tristia habemus, quod aegrotae chloroticae nec gravioribus symptomatibus afflictæ subito inter convulsiones extinctæ sint, atque in cadaveribus earum repertum sit serum effusum majori quantitate jam in ventriculis cerebri, jam in pericardio, ideo chlorosis nullo in casu negligi debet.

§. 76.

Antequam therapiam coordinamus e symptomatibus et e momentis pathogeneticis naturam individualem morbi definire admittimus; complicatione forte praesente, morbi alterius magis periculosi curam prius perficiimus; dum autem chlorosis acutæ, a Stoll nomine inflammatoriae descriptæ, symptomata observamus, tunc methodum anti-phlogisticam, et ipsam sanguinis evacuationem adhibemus, quae methodus in chlorosi vera, utpote per debilitatem veram cum peculiari abnormi statu sanguinis sustentatur, noxia est; in hac curanda indicatio prima est, ut causæ excitantes removeantur, ideo suademus aërem humidum, corruptum cum aëre sicco puro commutare, vitam otiosam, sedentariam deserre, et motus corporis moderatos nullo die intermittere, sed partim deambulando, partim labores diversos perficiendo, cubicula scopando, aquam saepius per diem e puto exantlando, subinde saltu corpus et animum exhilarare; alimenta et potulenta seligantur nutrientia, blande stimulantia, gradui debilitatis organorum digestionis et chylificationis accommoda; jura carnium, ova sorbilia, caro tenera, pro potu praeter aquam vinum et cerevisia bona convenient. Causæ omnes tristitiam alere valentes removeantur, et per remedia psychica animus tranquillus reddatur.

Praeter vitae regimen lundatum saepe etiam pharmaca necessaria sunt, in genere roborantia, cautela tamen magna.

adhibenda; initio hypercinesia est imminnenda; ideo in plurimis casibus curam inchoamus cum usu acidorum mineralium; frequentissime praescribimus liquoris acidi Halleri guttas vi-ginti usque triginta cum aquae vel decocti emollientis uncis sex et syrapi rubi idaei uncia semis, omni bihorio duobus cochlearibus sumatur, per unam, duas usque sex septimanas; symptomatibus hypercinesiae imminutis, ob debilitatem organorum digestionis et chylificationis indicata sunt tonica mitiora amara, stomachica, ut herba centaurei minoris, cardui benedicti, absinthii, trifolii fibrini, millefolii, radix gentianae, lignum quassiae, quae praescribimus jam pro infuso, jam extracta eorum in infuso vel aqua aromatica. Digestione emendata, symptomatibus tamen chlorosis adhuc perdurantibus, remedium specificum possidemus in ferro, adhibemusque initio praeparatum ejus mitissimum, tinteturam malatis ferri, ut melius feratur, miscemus cum tintura corticum aurantiorum et liquore anodyno minerali; dein commendamus extractum malatis ferri forma pilulari, jungen-do cum pulvere corticis cinnamomi, vel corticis cassiae lignae, frequentius cum pulvere radicis acori, subinde cum gummi-resina galbani vel myrrae, spasmis simul hysterice praesentibus cum asa foetida. In nonnullis casibus praescribimus carbonatem ferri vel flores salis ammoniaci martiales, vel sulfatet ferri artefactum, frequentius limaturam martis non rubiginosam, forma pulveris cum aromate, ut acoro, vel cassia lignea, vel flavedine corticum aurantiorum, vel elaeo-saccharo macis vel menthae vel foeniculi. Aestate utiliter adhibentur acidulae martiales, inter quas contra chlorosim Markard, Brandis, Hufeland et Kreysig maxime commendant Spadanias, Pyrmontanas, Schwalbachenses, quibus nos carere possumus, virtutes enim easdem habent Hungaricae Bartfenses, Lublovienses etc.

Licet ferrum constituat medicinam efficacissimam contra chlorosim, tamen non est pharmacum ita specificum. ut omnem plane chlorosim sanet; dantur idiosyncrasiae, ob quas praeparata martis omni effectu salutari destituuntur, aliis autem pharmacis roboranti-stimulantibus, gradui debili-

tatis accomodis, ut infuso florum chamoillae vulgaris, herbae melissae, menthae crispae et piperitae, foliorum aurantiorum, radicis acori, valerianae sylvestris, additis subinde liquoribus aethereis, cura chlorosis perficitur; non raro indicatus est usus corticis cinchonae, initio infusum frigidum aquosum, deinde decoctum tenue, vel praeparata ejus salina dosi parva praescribimus.

Contingit non raro sub decursu curae, ut aegrota nulla pharmaca roborantia vel stimulantia ferat, quae irritationem majorem et turbas diversas provocant; tunc exquirimus causam hujus phaenomeni, saepe praeter irritabilitatem et sensibilitatem morbose exaltatam nullam aliam detegimus, tunc denuo ad liquorem acidum Halleri recurrimus; saepe turbas illas enascuntur propterea, quod aegrota alvo obstipa labrans in tubo intestinali foeces induratas habeat; tunc necessaria sunt purgantia, raro salina, quia tormina et spasmos provocant; frequentissime rheum porrigitur, et quidem vel in pulvere cum magnesia, vel infusum rhei chinensis aquosum cum aqua destillata menthae crispae, vel in pilulis.

Subinde comparent in chlorosi dolores et spasti, quorum causas exquirere debemus; subinde per refrigerium vel per alias potentias nocentes inducitur inflammatio, vel rheumatismus, et tunc rationem habentes naturae chlorosis, methodum anti-phlogisticam cum summa cautela adhibemus. Non raro eadem symptomata molesta inducuntur tantum per saburram in ventriculo vel tubo intestinali haerentem, tunc evacuantia sed etiam caute porrigi debent, inprimis emetica, quae facile animi deliquium chloroticis periculosum excitant; ideo potius recurrimus ad purgantia, et non raro jam clysmata emollientia sufficiunt. Saepe dolores et spasti chloroticarum dependent tantum ab hypercinesia asthenica, et tunc liquoribus aetherei, subinde tinctura castorei, valerianae, asae foetidae, spiritus cornu cervi, subinde narcotica, ut extractum hyoscyami, digitalis purpurea, belladonna utilia sunt; rarissime praescribimus opium, ob alvum obstipam, quam facile producit, et in quam chloroticae utique prontae sunt.

Non raro sub decursu morbi evolvuntur symptomata hydropis diversi, quae in plurimis casibus therapiæ rationali cedunt, requiritur usus tonicorum prins laudatorum, inprimis ferri, quibus juugimus sinus diuretica, inprimis digitalem purpuream.

Saepe praeter remedia interna usus etiam externorum est necessarius, ut frictio cutis moderata, panno calido, fumo aromatico baccarum juniperi vel gummi-resinarum gratarum imbuto, quotidie mane suscepta, lotiones corporis totius cum vino albo calido, vel spiritu vini, vel spiritu aromatico; saepe ad curam perficiendam multum conferunt balnea roborantia, martialia, aluminosa, maritima. Remotis morbi symptomatibus ad evitandam recidivam molestam causee nocentes arceri et methodus blande roborans aliquo tempore continuari debet.

C Y A N O S I S.

§. 77.

Cyanosis vocatur etiam morbus coeruleus, coerulosis, ab Alibert *cyanopathia*; est illa peculiaris ca- chexia, quae se manifestat colore caeruleo, subinde inenti universa extenso, saepius tamen tantum in partibus epidermide tenui obtectis, ut in labiis oris, in superficie interna palpebrarum oculi, in apicibus digitorum manus et pedis conspicuo, et connexus est cum frigore debilitateque musculari magna.

Statum hunc morbosum observamus quidem frequenter, sed non appellamus cyanosim, quia color coeruleus cutis cum frigore et debilitate musculari nexus saepe est transitorius. qualis inducitur per diversas causas, ut refrigerium, iram, excessivum usum spirituosorum, per congelationem, strangulationem, fulminis ictum, suffocationem a sumo carbonum vel a vaporibus musti fermentantis, et submersionem;

talis inducitur etiam per morbos circulationem sanguinis impediantes, ut observamus sub paroxysmo febris intermittentis valido in stadio frigoris, sub asthmate gravi, sub tussi convulsiva, sub peripneumonia, sub cholera epidemica, quae cyanoses enumeratae non diu durant, sive sanitate, sive morte brevi terminantur; sed dantur cyanoses acquisitae, quae in longius tempus excurrunt; tales constituant symptoma hydrothoracis, hydrocardiae, tuberculorum et vomicarum pulmonum, vitiorum organicorum cordis et arteriarum, per quae vitia circulatio sanguinis per pulmones turbatur, congestio morbosa in cuti sustentatur, et inde color lividus in cuti inducitur. Peculiaris est cyanosis acquisita et permanens, quae excitatur per usum internum nitratis argenti.

Ab his cyanosibus acquisitis distineta est cyanosis congenita s. Cyanosis genuina cardiaea capoplastica Harlesii, quae statim primis diebus post nativitatem se manifestat et facile cognoscitur; infantes nempe tales valde debiles et teneri sunt; in morbo graviori cutis universa semper coerulea est, in morbo mitiori dum patente jacent et dormiunt, cutis habet colorem consuetum, sed dum sugere tentant vel clamant, statim labia oris et apices digitorum livent, moxque livor extenditur per reliquam etiam cutim, respiratio evadit difficilis, stertorosa, cum metu suffocationis, ideo ubera vix arrepta cito derelinquunt, simul corpus universum, in primis extremitates continuo frigent, post moram aliquam quiete subsecuta, respiratio iterum evadit pacatior, et color coeruleus successive disparet; sed quotiescumque sugere tentant vel ejulant, iterum revertuntur symptomata, et quidem semper citius, intensius et diutius ita, ut non pauci infantes jam intra primos octo dies succumbant. Dum morbus in minori gradu existit, tunc sub therapia rationali vita longiori tempore conservatur; aliqui infantes perlungunt usque ad epocham dentitionis, tunc sub insultu graviori inter spasmos enecantur; aliqui attingunt aetatem puerilem, tunc morbo aliquo exanthematico vel febri correpti, insultu cyanosis graviori accidente suffocantur;

qui aetatem puerilem superarunt, si vitam dueunt omni respectu moderatam, subinde etiam aetatem majorem attingunt. Ita inter centum septem casus, quos Horner collegit, quindecim pervenerunt ad annum aetatis decimum octavum usque trigesimum, novem vixerunt usque trigesimum primum, sexagesimum, imo unus usque octuagesimum annum. Sed quotiescumque tales motum corporis vehementiorem suscipiunt vel animi affectu exagitantur, vel potibus spirituosis abutuntur, tunc statim cordis palpitatione, anxietate, pectoris oppressione, tussi cruenta corripiuntur, cutis evadit livida, et non raro in animi deliquium incident.

I. J. Kämmerer, Diss. de morbo coeruleo. Halae. 1811.

I. K. Tobler, Diss. de morbo coeruleo. Göttingae. 1812.

K. F. Haase, Diss. de morbo coeruleo. Lipsiae. 1813.

E. Gintrac, recherches analitiques sur diverses affections dans lesquels la peau présente une couleur bleue. Paris. 1814.

— — Observations et recherches sur la cyanose ou maladie bleue. Paris. 1824.

Kwiatkowsky, Diss. aetiologiam morbi coerulei amplificans. Wilna. 1815.

I. C. Hein, de istis cordis deformitatibus, quae sanguinem venosum cum arterioso misceri permittunt. Göttingae. 1816.

Horner, Diss. de cyanosi, Monachii. 1823.

§. 78.

Causa cyanosis genuinae congenitae consistit in vitio organico cordis et vasorum majorum, et quidem disquisiciones anatomico-pathologicae docuerunt, subinde fabricam cordis ita abnormali fuisse, ut tantum unicus ventriculus cum unico sinu adfuerit, quemadmodum in amphibiis locum habet; subinde septum ventriculos cordis separans fissum, non concretum delectum est; saepius foramen ovale in septo sinuum apertum erat, quae tamen apertura non raro in cadaveribus detecta fuit, quin durante vita cyanosis observata fuisset; subinde aorta e ventriculo cordis dextro seu pulmonali originem duxit; saepius ductus Botallii arteriosus mansit aperitus, arteria autem pulmonalis fuit coarctata vel penitus con-

creta. Per haec *vitia organica* efficitur, ut sanguis per venas cavae in partem cordis dextram deductus effundatur statim in ventriculum aut sinum cordis sinistrum, vel per ductum arteriosum Botallii in aortam, quin deducatur per arterias pulmonales in pulmones, ut subiret mutationem necessariam pro sanguine arterioso; ideo sanguis remanet venosus carbonio scatens, et inde enascuntur color cutis coeruleus, frigus et debilitas totius corporis.

§. 79.

Prognosis morbi congeniti est semper fatalis, symptomatibus statim majori in gradu praesentibus, plurimi aegri primis statim septimanis vel mensibus *vitae* extinguntur; qui vitam conservant, illam imperfectam habent, nonnisi cura peculiari sustentandam.

Therapiam omnem eo dirigimus, ut vitam aegri sustentemus, et incrementum morbi majus impedianus, quem in finem necessarius est calor externus moderatus; infantes hoc morbo affecti semper frigent, ideo linteis calidis corpus totum involvi, et quotidie bis terve balneo tepido imponi, nutriri lacte materno vel nutricis sanae debent; dum sugere non possunt, tunc lac emulsum ope cochlearculi coiffeacei ori infunditur; aegris adultioribus cibos tantum blandos, minime aromaticos aut spirituosos concedimus; licet symptoma unum morbi sit languor muscularis et debilitas in organis sensuum, roborantia tamen nunquam exhibere licet. Quia in hoc morbo sanguis peculiariter constitutus est, decarbonisatione vitali in pulmonibus impedita, ideo commendarunt nonnulli inspirationem gasis oxygenii et exhibitionem internam chlorii, quod consilium tamen nulla observatione felici comprobatum est. Dum aeger debilis alvum forte obstipam, morbi symptomata aggravantem habet, tunc purgantia blandissima necessaria sunt. Dittmer asserit, frequenter causam morbi esse apertum ductum arteriosum Botallii, longe ratiorem aperturam foraminis ovalis vel septi cordis; cum in vivo sedes causae morbi definiri haud possit, curam esse dirigendam contra causam probabiliorem;

ideo commendat, ut infans irritetur et provocetur ad fletum frequentiorem, illi silenti porrigendo ubera, et mox iterum denegando, per fletum repetitum pulmones dilatari, sanguinem ad eos pro sanguificatione ulteriori derivari, et sic concretionem ductus Botallii accelerari, asseritque, hanc curam per se in quinque casibus feliciter institutam fuisse.

Dittmer. Vorschlag zur Heilung der Cyanosis neonatorum, durch Erfahrungen unterstützt (Hufelands Journal der prakt. Heilk. 1826. Nov. S. 104.)

CACOCHYMA MUCOSA.

§. 80.

Cacochymia mucosa vocatur etiam *status pituitosus*, a Swedia uer *polyblemmia*, est illa species cachexiae, in qua secretio muci in organismo quantitatem normalem ita excedit, ut inde sanitas plus minus-ve perturbetur. Saepe secretio haec morbosa janeta est cum statu inflammatorio et febri jam mitiori jam intensiori, vocaturque tunc catarrhus, a Swedia uer *blennorrhagia*, et pro diversitate sedis diversa gerit nomina; saepe tamen secretionem morbosam nec symptomata febris, nec inflammatio-
nis comitantur, ac tunc vocatur *status mucosus*, ca-
chexia pituitosa seu cacochymia mucosa, quae se
manifestat in genere habitu externo pallido, saepe oedema-
toso pastaceo, cum torpore musculari, calore animali im-
minuto et aliis symptomatibus, pro diversa sede et ex-
tensione morbi; frequentissime incipit secretio abnormalis mu-
ci tantum in una parte membranae mucosae, dein extendi-
tur per reliquum corpus; plerumque tubus alimentaris sedem
primam cacochymiae mucosae constituit; ideo plurimi aegri
conqueruntur de appetitu cibi imminuto, de sapore oris fa-
tu, de lingua muco illinita, de sensu ponderis et frigoris in
regione epigastrica, inprinis post ingesta; frequenter expe-

riuntur ructus, vomititiones, non raro etiam vomitum, quo mucus jam tenuem serosum, jam spissum ejiciunt; vexantur flatibus, alvo ut plurimum morosa; obstipa, rarius diarrhoica, et tunc evacuatur subinde mucus tenuis, subinde spissus glutinosus, vocatur gluten spontaneum; sub morbo increcente extenditur mucositas in organa respirationis, et tunc aeger affligitur tussi chronica, qua ejicit sputa copiosa mucosa; subinde secretio muci largior contingit tantum in cavo narium et faucium, tunc secretio muci est continua, in primis mane molesta usque ad vomitum; sub morbi incremento majori quantitate excernitur mucus e genitalibus et organis uropoeticis, ideo urina a muco accumulata est spissa et turbida; digestio, chylification, assimilatio et ipsa sanguificatio redundunt abnormes, imperfectiores, quantitas crnoris imminuitur, serum praedominans redditur, et serum in sanguine est magis mucosum; ideo cutis pallet, saepe oedematose tumet, musculi languent, calor animalis imminuitur, sensibilitas quoque successive obtusior et animus morosior evadunt.

§. 81.

Non raro dispositio ad cachexiam mucosam congenita est in iis, qui temperamento sic dicto phlegmatico gaudent; ita etiam observatio docet, statum hunc morbosum frequentiorem esse in sexu foemineo, in infantibus, pueris et senibus; saepe acquiritur dispositio per causas, quae solidorum laxitatem, debilitatem cum irritabilitate exaltata induunt. Causae excitantes adnotatae sunt per observatores diversae:

Aer humidus frigidus, huiusmodi calidus; ideo in vicinia paludum, in habitationibus humidis subterraneis, cellariis, navibus, autumno hyemeque frigidis et humidis status pituitosus est valde frequens.

Conferunt ad hunc statum alimenta et potulenta, ut cibi copiosi farinacei pingues, oleosi, lac, caseus, olera nimia quantitate ingesta, potus copiosus aquae tepidae, decoctorum emollientium, infusorum theae et coffeeae, spi-

rituosorum, ut cremati, vini et cerevisiae; defectus motus muscularis, otium, vita sedentaria continua, somnus diu protractus, animi affectus ingrati, moeror, tristitia, evacuationes liquidorum nimiae, morbi alii debilitantes pрагressi, ut febres intermittentes, non raro generant hanc cachexiam.

Per influxum horum momentorum excitatur in organismo status dynamico-organicus peculiaris, causam proximam morbi constituens, neque tamen status is semper idem est, determinatur per constitutionem individualem aegri et per indolem potentiae nocentis; saepe provocatur irritatio in parte una membranae mucosae ita, ut evolvatur status si non inflammatorius, saltem ad eum accedens, per quem secretio morbosa muci saepe in longum tempus sustentatur ita, ut nullum dubium sit, polyblenniam saltem sub exordio habere characterem dynamicum inflammatorium jam mitigationem, jam intensiorem; minime tamen defendere possumus omnem statum pituitosum talem esse, imo vero saepe nullum vestigium inflammationis detegi potest; saltem per debilitatem, laxitatem cum irritabilitate exaltata conexam sine omni inflammatione contingit secretio et sanguificatio ipsa morbosa.

§. 82.

Prognosis canochymiae mucosae variat pro duratione, intensitate et complicatione morbi; saepe morbus incipiens, causis nocentibus remotis, per solam autocratiam naturae tollitur; secus neglectus evadit molestus, eacochymia semper magis extenditur, debilitas in toto organismo increscit, symptomata dyspepsiae augmentur, in organis respirationis symptomata phthisis pituitosae evolvuntur, mucus degenerat, fit acerius, aphthae, ulcera superficialia in cavo faecium, trachea, tubo intestinali, vagina excitantur, et tunc facile symptomata febris hecticae comparent, cui non raro jungitur hydrops aegrum enecans; subinde per mucum nimia quantitate secretum in trachea et bronchiis inducitur suffocatio, per circulationem impeditam apoplexia mucosa,

qui funesti exitus per therapiam rationalem saepe saepius removeri possunt.

Quem in finem suademos aegro, ut causas morbum excitare et augere valentes removeat, in vicem aëris humidi versetur in sicco et puro; otio valedicat, et corpus quotidie motu exerceat, alimentis muco generando faventibus substituat victum animalem, in primis carnes assatas, pro potu seligat aquam et spirituosa bona, sed dosi moderata; animi affectus ingratos effugiat, tranquillum et hilarem animum conservare studeat; evacuationes excessivae vel morbi alii ad cachexiam hanc concurrentes therapia individuali removeri debent.

Saepe causae excitantes jam silent, status mucosus tamen perdurat; tunc indicationem curae desumimus a statu dynamico organico abnormi, ex symptomatibus omnibus combinatis cum probabilitate magna cognoscendo; non raro in secretione mucosa topica seu blennorrhagiis, uti etiam in mucositate late extensa, in febri mucosa status dynamico-organicus abnormis habet characterem energicum inflammatorium, rarius quidem intensem, frequentius mitorem, atque in hoc casu contra ipsam cacoehymiam mucosam methodus anti-phlogistica est indicata, subinde sanguinis evacuatio, raro universalis, saepius topica; frequentius sine ulla sanguinis evacuatione perficimus curam anti-phlogisticam decoctis emollientibus, quibus jungimus jam nitrum, jam salem ammoniacum, jam tartarum emeticum dosi refracta. Nec tamen anti-phlogisticis remedii semper sanari potest polyblennia; saepe sub continuato usu eorum incrementit potius, cum secretio morbosa sustentatur per statum dynamico-organicum asthenicum; atque in tali casu remedia stimulantia necessaria sunt jam blandiora, jam fortiora. Saepe pharmaca principio quodam acri, irritante praedita, ut alcalia, magnesiausta, carbonas lixiviae, bicarbonas sodae, subinde kali causticum vel alcali volatile siccum, intra breve tempus tollunt cacoehymiam mucosam; saepius ipecacuanha, scilla, antimonialia ut tartarus emeticus, sulfur auratus antimonii, kermes mineralis, arnica insigniter,

prosunt; subinde tamen per eadem provocatur nausea, vomitatio, appetitus cibi adhuc magis imminuitur, emendatione nulla observata; tunc ob statum asthenieum eminentem in organis digestionis et chylificationis magis indicatae sunt herba absinthii, cardui benedicti, centaurei minoris, trifolii fibrini, radicis gentianae, lignum quassiae; saepe majorem effectum exerunt aromata, jam principio aethereo, jam acri instructa, ut radix acori, radix caryophyllatae, cortex cassiae ligneae, cortex cinnamomi, nux moschata, allium, cepa, cochlearia armoracia, raphanus, semen sinapis, piper album et nigrum, zingiber, cortex canellae albae, capsicum annum, semina anisi, cumini, foeniculi, phellandrii aquatici etc.; saepe plus praestant gummi-ferulacea et balsamica, ut gummi ammoniacum, gummi galbanum, gummi myrrha, terebinthina, balsamum carpathicum, balsamum peruvianum. Dum status pituitosus sustentatur per debilitatem chronicam, tunc utiliter adhibentur praeparata corticis cinchonae et saepius adhuc praeparata martialis, in primis acidulae martiales; virtusque pharmorum laudatorum exaltatur per spirituosa cauta manu exhibita, ut per liquores aethereos, per cerevisiam bonam, magis adhuc per vinum bonum antiquum. Non raro sub exordio vel etiam sub continuatione curae recurrere debemus ad remedia evacuantia: mucus nempe morbose secretus quantitate nimia accumulatur in tubo alimentari; jam in ventriculo, et tunc emeticum, jam in tubo intestinali et tunc purgans medicina requiritur. Superato morbo causae nocentes vitari, et vitae regimen roborans continuari debet.

H E L M I N T H I A S I S.

§. 83.

Helminthiasis seu cachexia verminosa dicitur illa status morbosus, qui generatus per varias causas su-

stentatur per vermes in corpore humano nidulantes; corpus nempe et hominum et animalium non tantum vita sublata, sed etiam ea durante pabulum fertile vermbus praebet, quod jam antiquissimis historiae naturalis cultoribus et medicis notum erat; natura tamen eorum nonnisi per conatus recentiorum magis illustrata est.

F. Redi, *Osservazioni interne agli animali viventi, che si trovano negli animali viventi.* Firenze. 1684.

— *Observationes de animalculis vivis, quae in corporibus animalium vivorum reperiuntur.* Lugd. Batav. 1729.

W. van Doevert, *Diss. de vermbus intestinalibus hominum.* Lugd. Batav. 1753.

— *Abhandlung von den Würmern in den Gedärmen des menschlichen Körpers.* Leipzig. 1776.

P. S. Pallas, *Diss. de infestis viventibus intra viventia.* Lugd. Batav. 1760.

M. E. Bloch, *Abhandlung von der Erzeugung der Eingeweide-würmer und den Mitteln wider dieselben.* Berlin. 1782.

J. A. E. Göze, *Versuch einer Naturgeschichte der Eingeweide-würmer.* Leipzig. 1782.

A. J. Retzius, *Lectiones publicae de vermbus intestinalibus; in primis humanis.* Holmiae. 1786.

J. Jordens, *Entomologie und Helminthologie des menschlichen Körpers.* Hof. 1801 — 1802.

V. L. Brera, *Lezioni medico-pratiche sopra i principali vermi del corpo umano vivente.* Cremona. 1802.

— *Vorlesungen über die vornehmsten Eingeweidewürmer des menschlichen Körpers, und die sogenannten Wurmkrankheiten, mit Zusätzen von Weber.* Leipzig. 1803.

— *Memorie fisico-mediche sopra i principali vermi del corpo umano.* Cremona. 1811.

J. G. H. Zeder, *Anleitung zur Naturgeschichte der Eingeweidewürmer.* Bamberg. 1803.

C. A. Rudolphi, *Entozoorum seu vermium intestinalium historia naturalis.* Amstelodami. 1809—1810.

— *Entozoorum synopsis.* Berolini. 1819.

F. Bradley, *a treatise on worms, and other animals which infest the human body, with the most speedy, safe and pleasant means of cure.* London. 1813.

J. G. Bremser, Über lebende Würmer im lebenden Menschen, ein Buch für ausübende Aerzte, mit nach der Natur gezeichneten Abbildungen. Wien. 1819.

— Icones helminthum, systema Rudolphii entozoologicum illustrantes. Viennae. 1824.

W. Rhind, a treatise on the nature and cure of intestinal worms of the human body, arranged according to the classification of Rudolphi and Bremser. London. 1829.

§. 84.

Vermes, helminthi, entozoa in corpore humano relate ad sedem duplices distinguuntur; alii nempe reperiuntur in textu celluloso, atque in visceribus diversis et vocantur vermes viscerales seu splanchnici, tales sunt:

1mo. Filaria Medinensis seu tropica, vocatur etiam vena, gordius, furia Medinensis, draconulus Persarum; est in regionibus torridis Asiae et Africæ quasi endemicus, in Europa et America tantum in hominibus e regionibus dictis advenientibus subinde observatur; habet subinde longitudinem duarum, octo, duodecim pedum, crassitatem chordæ medioris, ideo vocatur etiam filaria elongata; invenitur frequentissime in textu celluloso crurum, ubi usque ad ossa penetrat, dolores intensos, inflammationem, cariem excitat; exulceratione in cuti producta, non raro pars vermis per nubes dependet; in easu rarissimo latitabat sub conjunctiva oculi.

2do. Filaria hominis bronchialis seu hamularia subcompressa, lymphatica, tentaculæ subcompressa fuit per Treutler in hominis venere exhausti glandulis bronchialibus reperta. Rudolphi inter species dubias refert.

3to. Distoma hepaticum seu fasciola hepatica frequens in ovibus, capris, bovibus, cervis, in homine subinde sed valde raro detectus fuit in vesicula fellea.

4to. Polystoma pinguicola, per Treutler repertus in tuberculo ovarii humani.

5to. *Strongylus gigas* frequens in mammalibus, rarus in homine et quidem in renibus ejus.

6to. *Cysticercus cellulosa* seu *hydatis*, finna humana, taenia hydatigena est vermis vesicularis capite tetragono, collo brevissimo antrorsum incremento, corpore cylindrico longiori, vestia caudali elliptica transversa, reperitur frequenter in musculis, in cerebro, in tuberculis pulmonum, in partibus scirrhosis et cancerosis.

7mo. *Echinococcus hominis* seu *polyccephalus hominis*, *hydatis humana*, est vermis *cysticus* corpore subgloboso vel obovato, laevi; capite uncinulis coronato; vermiculi punctiformes hydatidis superficie interne incident; reperitur in visceribus hominis, hepate, intestinis, ventriculo, utero, in plexu chorioideo et glandula pituitaria cerebri, in pulmonibus, liene, ideo vocatur a Bremser *splanchnococcus*, a Laennec *acephalocystis*, habet magnitudinem pisii minoris, subinde juglandis, ovi columbini, gallinacei usque pugni majoris, quae vesica liquido pellucido albuminoso repleta est, dum aperitur in superficie interne reperiuntur globuli parvi agglomerati arenace instar, qui ipsi vermes sunt.

Westrum b., de *Helminthis acantcephalis*, Hannoverae, 1821.

§. 85.

Longe frequentiores sunt vermes qui nidulantur in tubo intestinali et vocantur *vermes intestinales*; tales sunt alii teretes, alii lati; ad teretes pertinent:

1mo. *Trichcephalus dispar* seu *trichuris hominis*, a Linneo *ascaris trichuris*, a Zeder *mastigodes hominis* nominatus, parte capillari longissima, capite acuto, corpore magis spiraliter involuto, foeminae subrecto, vagina penis obovata, copiosissimus habitat in intestino cœco, inde subinde proserpit in intestinum tenue, frequentius tamen in intestinum colon; habet longitudinem unius, usque duorum pollicum, parsque ejus anterior caput et collum constituens est tenuis capillaris, duas tertias partes

efficit totius longitudinis vermis, una tertia pars caudam referens crassior est.

2do. *Ascaris lumbricoides*, externa figura similis lumbrico terrestri, teres, capite nudo, corpore utrinque sulcato, cauda obtusiuscula, tres usque duodecim pollices longus; habitat in intestino tenui et crasso, est frequentissimus, et subinde majori numero; ascendit etiam in ventriculum.

3to. *Ascaris vermicularis*, secundum Bremser *oxyurus vermicularis*, est vermis parvus, teres, capite obtuso, membrana laterali utrinque vesiculari, cauda maris spirali, obtusa, foeminae subulata, recta; nidulatur frequentissime in intestinis crassis, praesertim in recto.

Vermes autem lati homini infesti sunt: 1mo *Bothriocephalus latus* seu *Taenia lata*, membranacea, vulgaris, a Brera *taenia humana inermis* vocata, est capite bothriisque marginalibus oblongis, collo subnullo, articulis anticis rugae-formibus, in sequentibus plurimis subquadратis, ultinis longiusculis; longitudinem habet decem usque viginti ulnarum; referuntur specimena rara sexaginta, immo unum tercentarum ulnarum; est hic vermis in Oriente, in Germania, Anglia et etiam apud nos valde rarus, observatur frequens in Russia, Polonia, Helvetia et Gallia.

2do. *Taenia solium Linnei*, seu *taenia curbitina*, *taenia humana armata*, est capite subhaemisphaericō, discreto, rostello obtuso, collo antrorum increscente, articulis anterioribus brevissimis, insequentibus subquadратis, reliquis oblongis, omnibus obtusiusculis, foraminibus marginalibus vase alternis. Habitat in hominis intestinis tenuibus, in Oriente, Germania, Anglia, et apud nos haec species est frequentissima, in Russia et Polonia rara. Longitudo ejus est viginti usque quinquaginta ulnarum; refertur exemplum unum octingentarum ulnarum.

M. van Phelsum, Historia pathologica ascaridum. Leoward. 1762.

— Pathologische Geschichte der Springwürmer. Gotha. 1782.

- C. Daly, Diss. de teretibus intestinalibus lumbricis. Edinburgi. 1790.
- J. Clocquet, Anatomie des vers intestinaux, ascaride lombricoide. Paris. 1824.
- C. Linné, de taenia. Upsalae. 1748.
- J. Reinlein, Animadversiones circa ortum, incrementum, causas, symptomata et curam taeniae latae. Viennae. 1811.

§. 86.

Vermes enumerati in organismo humano diversa symptomata provocant pro diversa sede et specie vermium, pro diversa constitutione individuali aegri, ac pro diversa complicatione morbi. Diagnosis vermium visceralium est summe dubia; functio quidem partis in qua residet vermis plus minus-ve laeditur, sed rarissime definiri potest, inducatur-ne perturbatio ea a verme vel ab alia causa; solius filariae tropicae diagnosis est saepe manifesta; distoma quidem hepaticum excitat hepatalgiam et icterum, echinococcus excitat in cerebro cephalaeas vehementissimas, in aliis visceribus alia symptomata, aegro tamen vivente per nulla criteria huc usque valemus verinem splanchnicum cognoscere, quem investigatio anatomico-pathologica ostendit in cadavere.

Facilior est diagnosis vermium intestinalium, qui saepe quidem innocui et indifferentes sunt, in primis apud infantes evanescunt, quin ulla symptomata morbosa producta fuissent; unde concluserunt aliqui, vermes ad causas morborum haud pertinere, imo hospites esse salutares qui succum nutritium superfluum consumerent; sed observatio ad lectos aegrorum nos convincit, per vermes intestinales saepe symptomata varia, imo mortem ipsam excitari; error quidem in diagnosi committi potest, quia eadem symptomata non raro per alias causas provocantur; ideo attentione magna colligi debent omnia momenta diagnostica, ne errore inducti anthelminthicis diversis aegrum affligamus, et statum morbosum ejus intensiorem reddamus. Subinde praesentibus etiam vermbus intestinalibus habitus corporis remanet lau-

dabilis; longe saepius tamen inducit habitus cachecticus, facies pallida, tumidiuscula, inprimis mane post somnum, palpebrae sunt oedematosae, annulo livido cinctae, abdomen utplurimum tumidum et saepe durum; praeterea excitantur symptomata tam topica, quam consensualia diversa; topice ab ipsius tubi intestinalis irritatione aeger non raro persentit dolores pro diversa sensibilitate aegri jam mitiores, jam vehementes, qui non sunt fixi et constantes, sed per vices remittunt, silent et sedem mutant; utplurimum jejuno stomacho sunt dolores majores, post cibum ingestum, inprimis post aliquos ut lactis esum immuniuntur, post alios ut allinum, cepam exasperantur; dolores hi cum spasmis nexi sunt, per quos et tubus intestinalis, et parietes abdominales violenter contrahuntur, ideo alvus saepe est pertinaciter obstipa; saepe intestina iterum morbose dilatantur a gase in tubo intestinali secreto, inde abdomen evadit tumidum; per irritationem vermium producitur saepe secretio major succi pancreatici, qui motu anti-peristaltico effunditur in ventriculum, inde per oesophagum in os; non raro contingit secretio major bilis, et effusio ejus jam per vomitum, jam per alvum; frequentius adhuc locum habet secretio largior muci, qui jam tenuis, jam spissus vomitu vel diarrhoea evacuatnr, non raro corruptus foetorem spargit peculiarem, eo magis quia continet subinde partes vermium corruptas. Subinde vermes intestinales penetrant in ductum choledochum, pancreaticum, ventriculum, et tunc partes has irritando turbae adhuc majores excitantur; in casibus rarioribus producitur per irritationem vermium majorem inflammatio tubi intestinalis, quae saepius excitatur per alias causas, et per vermes intestinales tantum exaltatur, estque haec enteritis verminosa raro acuta, saepius chronica, remittens, iterumque recurrens et talis per menses et annos aegros affligit, atque sub tali enterite chronica contingunt degenerationes tubi intestinalis, subinde suppuratio, gangraena, sphacelus, vel tantum emollitio morbosa, atque tunc contingit subinde perforatio tubi intestinalis, et vermes

penetrant in cavum abdominis, unde opinio enata fuit, a vermis perforari tubum intestinalem, quam opinionem disquisitiones accuratissimae in primis a Rudolphi et Bremser institutae refutarunt. Praeter symptomata topica inducuntur a vermis in partibus diversis varia consensualia; ita ex affectione morbosa participat pars superior tubi alimentaris, appetitus cibi est subinde minor, longe frequentius tamen exaltatus ita, ut fames adsit, in primis appetunt cibos farinaceos et lacteos; saepe experiuntur aegri gastralgiam, nauseam, vomiturbationem, vomitum, quo bilem, succum pancreaticum, in primis autem mucum copiosum evacuant, cuius secretio morbosa non tantum ad intestinum et ventriculum restringitur, sed etiam in oesophago, pharynge et cavo oris locum habet, ideo lingua et fauces sunt saepe muco illinitae, secretio muci in primis mane post somnum est frequens, non raro dormientibus ex ore mucus et saliva effluit; etiam qualitas muci est mutata, ideo halitusoris in primis mane est peculiariter ingratus. Sympathice afficiuntur organa sensuum, plurimi pruritum singularem in naso experiuntur, partim ob secretionem morbosam muci, partim ob irritationem sympathicam nervi nasalis, ideo nasum fricant; subinde ob secretione muci abnormem olfactus est obtusus vel perversus; ut continuo foetorem sentiat; gustus est apud plurimos fatuus, visus est debilis, languidus, subinde nullus, amaurosis, pupilla valde dilatata; auditus subinde obtusus, difficilis, cophosis, saepius tinnitus et susurrus aurium observantur; tactus jam obtusus jam morbose exaltatus, ita etiam coenaesthesia per vermes intestinales exaltatur, et aeger non tantum enteralgia et gastralgia, sed etiam cephalaea, doloribus articulorum lacerantibus vexatur; saepe musculi per vermes consensualiter afficiuntur, atque spasmi jam clonici jam tonici provocantur, ut singultus, risus Sardonicus, trismus maxillae inferioris, tetanus, chorea Sti Viti, eclampsia et epilepsia; subinde paralyses transitoriae non tantum in organis visus et auditus, sed etiam in extremitatibus, in organis vocis et lingua, ut balbuties,

aphonia sunt symptomata morbi verminosi; ipsum cerebrum organon sensorii communis in functionibus suis perturbatur ita, ut non raro animi morositas singularis, tristitia, melancholia, subinde hilaritas excessiva, stultitia, subinde mania e vermis intestinalibus sit excitata; ita etiam somnus plurimis est abnormis, aliqui multum dormiunt ob torporem, plurimi habent somnum inquietum, dentibus strident, libenter in abdomen se convertunt, saepe artibus contremiscunt, exclamant, ejulant, in somno loquuntur et subinde phaenomena omnia somnambulismi comparent; saepe per vermes intestinales sympathice afficiuntur organa secretionis et reproductionis: secretio muci largior extenditur etiam per reliquas membranas mucosas, et sic evolvuntur symptomata cachexiae mucosae late extensae; subinde per irritationem sympathicam vasorum capillarium provocantur secretiones cruentae, epistaxis, haematemesis, diarrhoea cruenta, rarius tussis cruenta et haematuria; subinde contingit secretio morbosa in cuti, ut provocentur efflorescentiae, urticaria, herpes, impetigo etc.

§. 87.

E symptomatibus enumeratis tam idiopathicis, quam sympatheticis inter se combinatis suspicio fundata nascitur de vermis in tubo intestinali nidulantibus, diagnosis tamen certa haud erit, nisi vermes evacuati observati fuerint, nam symptomata enumerata producuntur etiam per alios status morbosos cum irritatione tubi intestinalis connexos; ideo ad evitandum errorem in diagnosi debemus ea, quae vomitu et per alvum secedunt investigare, ut vermem vel integrum vel saltem partem ejus conspicere possimus; quod eo magis necessarium est, cum pro diversa specie vermis diversa etiam therapia adhiberi debeat; nam symptomata quae speciem singularem vermis intestinalis indicant, sunt dubia. Ita trichocephalus dispar, licet frequentissime reperiatur in tubo intestinali, in primis coeco, unde etiam in intestinum tenue penetrat, tamen per helminthologos celeberrimos Rudolphi et Bremser nulla symptomata pe-

cularia praesentiam vermis hujus indicantia, nisi in excrementis observatus fuerit. Ascaris lumbricoides sedem principalem habet in intestino tenui, reperitur etiam in crasso et in ventriculo, et per hunc producuntur frequenter symptomata communia verminosa, ut habitus pallidus oedematosus, abdomen tumidum tensum, pruritus nasi, dilatatio pupillae etc. Ascaris vel oxyurus vermicularis saepe majori numero reperitur in intestino recto, excitans que pruritum molestum, ardorem in ano, tenesimum dolorificum ad alvum, quae frequentius est obstipa, apud puellas subinde serpit in vaginam, pruritum et secretionem muci morbosam provocat, in casu rariori pertingit etiam in urethram muliebrem, et tunc in urina observatur. Bothrioccephalus latus et taenia solium Linnei sunt duae species ab invicem ita distinctae, ut simul in eodem homine nunquam observatae sint, neque tamen hucusque novimus criteria; quibus hi vermes lati ab invicem in vivo homine discerni possent; communia eorum symptomata sunt sensatio motus undulatorii in abdomine, producta per motum ipsius vermis, qui sedem suam mutat, inhabitat enim et intestina tenuia et crassa, non raro contrahitur in glomerem, atque tunc in una parte abdominis, quae intumescit, sentitur pondus majus; saepe per vermes latos excitantur enteralgiae, spasmi diversi, paralyses et subinde singularia phaenomena; ita P. Frank refert exemplum Itali taenia solium affecti, qui quotiescumque in ecclesia organon pulsarent; correptus est anxietate nimia, cordis palpitatione, artuum tremore, pallore, et nisi illico ecclesiam deseruit, in animi deliquium incidit. Diagnosis vermis lati certa evadit, dum partem aliquam ejus conspicere possumus, quod haud est difficile, nam articuli vermis lati saepe solitarii, saepe plures connexi alvo evacuantur, saepe quideam jam corrupti, sed non raro adhuc recentes, vegeti, motum etiam perficientes.

Vermibus evacuatis de praesentia eorum in organismo vivo dubitare non licet; diagnosis tamen morbi verminosi et tunc subinde manet dubia; nam vermes evacuati poterant

esse indifferentes et morbosa symptomata excitari per alias causas; non raro vermisbus praesentibus in organismo evolvuntur febres, inflammations topicae, efflorescentiae cutaneae, morbi excretorii, cachexiae vel neuroses, quae a vermisbus non producuntur, per eos tamen saepe exasperantur, ita ut complicationis hujus ratio magni momenti sit; sed saepe symptomata morbi praesentis tantum per vermes intestinales sustentantur; tunc morbus verminosus est simplex, tunc ad naturam ejus definientiam exquirere debemus etiam causas, per quas vermes generantur et sustentantur.

§. 88.

De origine vermium humanorum diversae opiniones de prompta sunt; nonnulli cum Linnneo defendunt, vermes in corporibus animalium repertos generari ex ovis aut larvis eorumdem, partim cum aqua, partim cum alimentis in ventriculum ingeri, et in corpore animali dein magis evolvi; interim disquisitiones summa diligentia susceptae, in primis a Rudolpho et Bremero docent, vermes tales, quales nidulantur in animalibus vivis, extra corpus animale nec in aqua, nec in terra unquam fuisse repertos. Alii asserebant, vermes generari in animalibus minus perfectis ut piscibus, amphibiis, avibus et quadropedibus, atque eos cum alimentis in tubum alimentarem deferri et ibi ulterius evolvi. Vermes quidem humani vermis aliorum animalium non secus ac partes corporis humani analogi sunt, fabrica tamen organica multum distincti, nec vermes tantum in tubo intestinali deteguntur, sed etiam in musculis et textu-celluloso, in visceribus, in ipso cerebro, nec de vermis solis intestinalibus concipi semper potest, quomodo illuc delati sint; teneri infantes qui nullo alio cibo quam lacte matris vel nutricis valuntur, saepe habent vermes intestinales copiosissimos; in infante neonato statim post nativitatem observati sunt ascarides vermiculares nimia quantitate, et in foetu statim post nativitatem extincto defectus est vermis latus; ita ut per has observationes convincamur, vermes humanos nec ex aqua vel

terra, nec ex aliis animalibus in cibum conversis originem trahere, sed per generationem sic dictam spontaneam seu aequivocam in corpore humano evolvi, quam opinionem jam Aristoteles depromsis, Rudolphus et Bremer multis argumentis defenderunt. Contingit nempe mutatio peculiaris jam in liquidis secretis textus cellulosi, jam visceris ejusdam, in primis autem tubi intestinalis, quia cacochymia praesente generantur vermes, qui dein se multiplicant, nam partibus genitalibus instructi et subinde etiam in ipso actu generationis reperti sunt,

Ad evolutionem cacochymiae hujus verminosae specificae requiritur dispositio peculiaris, per observationem solam cognoscibilis, quae saepe congenita est et in nonnullis statim post nativitatem se manifestat; plurimi verminosi aetate infantili et puerili frequentius in sexu foeminino observantur, licet occurant vermes etiam aetate virili et senili. Ad dispositionem hanc generandam influxum manifestum exercit clima et atmosphaerae constitutio peculiaris; inde sit quod bothriocephalus latus sit frequentissimus in Russia et Polonia, rarus in Hungaria, in Oriente, Germania et Anglia, in quibus regionibus taenia solium longe frequentior est; epidemiarum verminosarum causam saepe nullam aliam praeter constitutionem atmosphaerae peculiarem detegere valemus.

Dispositione praesente saepe alias potentiae manifestae conferunt ad morbi evolutionem, tales sunt: vita otiosa sedentaria, aer humidus corruptus, exhalationibus variis inquinatus, cibi farinacei, lactei, pisces, olera nimia quantitate ingestus. Non quidem asserimus, per has causas semper generari vermes, cum observatio doceat, homines causis enumeratis expositos, tamen vermis haud infestari, dum alii cibo bono animali nutriti vermes generant, quod dependet maxime a dispositione individuali; eo non obstante exquirimus omnes circumstantias, quae in aegrum egerunt, et per quas forte status verminosus auctus est, ut nempe harum rationem debitam in ipsa therapia habere possimus.

§. 89.

Momentis omnibus nosographicis et pathogeneticis collectis possumus prognosin morbi verminosi cum aliqua probabilitate pronunciare, vermes quidem splanchnicos nec cum probabilitate aliqua cognoscere, ideo nec prognosis de iis condere valemus; vermes autem intestinales saepe sunt indiferentes, innocui ita, ut ab infantibus etiam sanis non raro secedant, quin symptomata nulla excitassent; saepe tamen vermes molesti sunt, et quidem testantibus non paucis observatoribus incommoda plura excitant sub lunae phasibus, sub plenilunio, quod tamen per observationes proprias confirmare non valemus. Saepe per vermes intestinales excitantur dolores, spasmi, paralyses, secretiones morbosae, chylus consumitur, ideo nutritio corporis impeditur, habitus cachecticus, tabes, febris hectica inducitur; subinde per vermes copiosos in glomeris cōvolutos intestina obstruuntur, pertinacissima alvi obstipatio, ileus non raro letalis inducitur; subinde enteritis initio lenta, chronica, sed dein acutissima et facile letalis provocatur, quos exitus funestos saepe quidem therapia rationalis avertit, nec tamen in omni casu scopum salutarem attingit; determinaturque prognosis per diversa momenta; sic si fuerit morbus verminosus recens et simplex, tunc facile curatur; si fuerit inveteratus, complicatus cum aliis morbis, ut scrofulis, neurosibus, inflammatione chronica vel acuta, tunc prognosis est semper ambigua. Accidit subinde ut morbo alio superaccidente vermes sponte secedant, quod jam Hippocrates adnotavit, et exitum tunc salutarem pronunciavit, quod tamen non evenit semper, in febribus scilicet perniciosis et malignis cum charactere nervoso septico praeditis observamus non raro ascarides lumbricoides secedere per nasum, per os, saepius per alvum, in uno casu hic taenia solium Linnei longissima sub typho nervoso cessit sponte, qui tamen successus spontaneus pessimum signum erat, mortem vicinam annunciat. Videntur vermes per humores corruptos expelli, et corpus, quod jam nutrimentum idoneum eis haud largitur, antequam

cadaver sit, deserunt. Differt prognosis relate ad speciem vermis: trichocephali difficillime, ascarides lumbricoides facilius eliminantur; oxyuri vermiculares saepe tantum postquam diu affixerunt aegrum et medicum, curae longae cedunt; vermes lati saepe expelluntur quidem, sed non raro facile iterum regenerantur, et subinde nullo conatu adhibito deserunt hospitium suum.

§. 90.

Therapiam contra vermes viscerales vix cum aliquaprobabilitate in vivo cognoscendos nullam instituimus, sed tantum contra vermes intestinales dirigimus; ut haec scopo respondeat, per investigationem prius desinimus, sit-ne morbus verminosus cum alio forte periculosiore, ut inflammatione complicatus, eujus tunc therapia ut magis urgens suscipienda erit. Contra ipsos vermes intestinales duplia remedia possidemus, alia nempe evacuantia, emetica et purgantia, alia vermes enecantia; majorem dignitatem habent evacuantia, quae saepe sola curam morbi absolvunt. Non raro ad sunt signa saburrae in ipso ventriculo haerentis et sursum versus turgescens, dum aeger helminthiasi affectus febris corripitur gastrica cum nausea, gastralgie, cephalaea frontali, vomititione, vomitu, saepe etiam symptomatis nervosis; tunc signis inflammationis nullis praesentibus medicina emetica et quidem tartarus emeticus maxime indicatur; saepe vermium evacuatione subsecuta symptomata febris ominosa mitigantur et disparent. Longe frequentius observantur symptomata saburrae verminosae in tubo intestinali haerentis, ideo etiam longe frequentius indicata sunt pharmaca alvum purgantia; saepe sufficient blandissima, imprimis dum aeger spasmis et doloribus vexatur, tunc olea pressa lini, olivarum vel amygdalarum dulcium exhibemus infantibus et pueris omni biorio uno cochleari coffeaceo, adultis vero cochleari majori. Olea haec olim laudabantur contra vermes ut anthelmintica, quod putaverunt, poros respiratorios vermium oleo obstrui, et sic enecari, quemadmodum hoc de insectis observamus, sed disquisitiones exactae do-

cuerunt, vermes nullos poros respiratorios habere, ideo olea lapdata prospnnt tantum ut purgantia mitiora; dum effectu eo destitunntur, recurrimus ad oleum ricini e seminibus bene conservatis recenter pressum, cuius uncia semis usque duae alvi evacuationes producent sufficientes et non raro vermes e tubo intestinali eliminant. Nullis doloribus, nullis spasmis, nullis signis inflammationis praesentibus olea blandiora saepe nullum effectum praestant, quia tubus intestinalis muco copioso secreto spiso glutinoso obductus est; tunc purgantia aliquantum magis irritantia indicata sunt; non raro tunc utiliter sumitur sal communis in aqua vel juseculo solutus, halocces, sal ammoniacus; majorem efficaciam habent sales purgantes, ut sulfas magnesiae, sodae et lixivae, qui pro diversa aetate et constitutione aegri praescribuntur a drachma una usque unciam unam. Nec tantum vermes teretes, sed etiam lati testante Reinlein ope salium horum feliciter expulsi sunt. Saepe tamen ob statum torpidiorem tubi intestinalis nec quidem alvi evacuatio, multo minus vermis expulsio sequitur; tunc purgantia acriora indicata sunt, ut folia sennae, radix rheii, radix jalappae, resina jalappae, imo et drastica, ut aloë, gummi-gutta, se ammonium, colocynthis, elaterium, helleborus, oleum crotonis tiglii; quae purgantia drastica in casibus individualibus proficia fuisse nullum dubium est, sed adnotare simul oportet, ea non raro fuisse noxia, morbum leviorem usu eorum redditum fuisse incurabilem, et subinde letalem; ideo drastica talia nunquam praescribimus, nisi aegrum ipsi observare possimus, et inter haec maximam sibi laudem meruit jalappa, principio suo peculiariaci resinoso, jalappino dicto efficax, adhibeturque vel pulvis radicis jalappae a scrupulo semis usque drachmam unam, vel resina jalappae a granis duobus usque scrupulum semis, et non raro jungitur calomelae.

§. 91.

Remedia evacuantia in curanda helminthiasi intestinali utilissima effectum desideratum saepe non praestant;

Iicet alvus purgetur frequentius, vermes tamen non expelluntur, fortius adhaerent tubo intestinali, atque tunc ante usum purgantium vel simul cum purgantibus adhiberi debent remedia, quorum ope vermes enecantur, quae sensu strictiori anthelminthica vocantur, quorum numerus magnus est, e quibus per reflexionem naturae morbi individuali conformiter conamur maxime adaequatum seligere. Talia sunt:

Aqua frigida; observatio docet, quod vermes e tubo intestinali evacuati vivi, vegeti in aqua frigida rigescant et emoriantur, ideo adhibentur clysmata ex aqua frigida cum utilitate, et etiam per potum aquae, ut acidularum et per decoctum mercurii vivi, quod secundum analysis chemicam exactam nihil plane hydrargyri in se continet, vermes expulsi sunt. Non raro radix dauci carottae, saepius allium, cepa profuit, quod partim forma cibi, cum decocto carnium et pane, vel lacti incoctum hauritur, vel ut clyisma applicatur. Saepe blandioribus his haud sufficienibus ad pharmaca recurrimus; et inter haec maximam laudem sibi meruerunt semina santonici seu contra, seu cinnae seu artemisiae judaicae, quod pharmacum principio peculiari acri praeditum in primis contra vermes teretes successu felici adhibetur; semina integra saccharo condita sub nomine seminum cypri minime commendanda sunt; optime praescribitur hoc pharmacum in pulvere, bolo vel electuari, a scrupulo semis ad drachmam unam pro nycthemero. Virtutem similem, saltem in gradu minori possident semina tanaceti; majorem habent semina sabadillae, quo tamen pharmaco rarissime utimur, cum principio suo acri narcotico facile inflammationem excitat. Commendantur ab auctoribus ut remedia anthelminthica cortex Geofroiae Surinamensis, chenopodium anthelminthicum, spigelia anthelminthica et Marylandica, lana fructus stizolobii, dolichos pruriens, conferva helminthocorton seu corallina corsica, quae tamen apud nos, cum alia efficaciora experiamur, in usum haud vocantur; laudantur in casibus individualibus pulvis carbonis vegetabilis, flores sulfuris,

praeparata antimonii, murias calcis, murias barytae, a recentioribus jodium. His tamen majorem efficaciam exerunt radix polypodii flicis maris, cortex radicum granatorum, stannum purissimum jam limatum jam granulatum, quae tria pharmaca in primis contra vermes latos utilia sunt. Contra vermes omnes saepe virtus anthelminthica eximia est olei terebinthinae, quod adulti sumunt ad unciam unam cum lactis saccharati unciis duabus. Non raro proficuum est petroleum; efficacia majori pollet oleum destillatum cajeput, forma elaeosacchari ad guttas decem usque quindecim exhibitum. Adhuc majorem virtutem exerit oleum destillatum Chaberti, quod praeparatur ex olei animalis empyreumatici parte una, olei destillati terebinthinae tribus partibus, quae intime mixta relinquuntur in quiete per quatuor dies, dein in balneo mariae exponuntur de-stillationi, donec duas tertiae partes transiverint in excipulum, funditurque in lagenulas parvas unqiam semis capientes, obturaculo vitro et vesica rite clauduntur, et in loco obscuro conservantur, indeque aegris mane et vesperi uno cochleari coffeeaceo exhibetur.

Subinde post usum anthelminthicorum etiam diu continuatorum sanitas non restituitur, vel restituta cito iterum labefactatur, vermes expulsi cito regenerantur, quia status peculiaris tubi alimentaris genesi vermium favet; tunc non raro tonica, amara, roborantia, ut radix gentianae, herba absinthii, extractum vel roob corticum viridium mucum juglandum, extractum fellis tauri, saepe praeparata ferri, in primis sulfas ferri artificialis, subinde cortex cinchonae, subinde spirituosa ut crematum sunt praestantissima anthelminthica.

Dum status verminosus complicatus est cum hyperesthesia, ita ut aeger affligatur doloribus et spasmis, non ab inflammatione dependentibus, tunc subinde prosunt narcotica, amygdalae amarae, aqua laurocerasi, acidum hydrocyanicum, saepius flores chamomillae vulgaris, radix valeriana sylvestris, gummi asae foetidae, liquores aetherei,

camphora, praeparata ammoniae, in casibus nonnullis mo-
schus, contra spasmos inprimis flores zinci.

Subinde praeter remedia interna etiam externa in au-
xilium vocari debent; ita intestino recto applicamus sup-
positoria, frequentius clysmata, jam ex aqua frigida, jam
ex anthelminticis aliis laudatis, eadem remedia etiam cuti
applicamus, sic oleum tanaceti, terebinthinae, petroleum
cum felle tauri mixtum abdomini inungimus; referente Bre-
ra in Italia olei crotonis tiglia gutta una usque decem cum
olei olivarum vel axungiae porci uncia una mixta abdomini
inungitur optimo effectu. Non raro proficia sunt fomenta
et cataplasma e herbis amaris, ut absinthii. Referunt au-
ctores vermes expulsos fuisse e tubo intestinali per ictum
electricum, per magnetem mineralem et per magnetismum
animalem.

Licet tam multiplicia sint artis praesidia contra ver-
mes, tamen subinde artis conatus elidunt, et vermes tubum
intestinalis non deserunt; tunc non impugnamus continuo
organismum pharmacos, sed inducias concedimus, et non
raro seposita omni therapia post aliquam moram vermes
sponte secedunt; in tali casu conamur tantum symptomata
molesta mitigare; attendimus, qui influxus, quae alimenta
et potulenta maiores turbas inducant, illos arcemus; in
genere commendamus cibos et potus blandiores, observa-
tioque docet, symptomata maxime sopiri per lac dulce,
recens, et quidem saepe sufficit lac vaccinum, subinde mag-
gis prodest lac equinum vel asininum; si aeger natibus
diductis insideat vapor lactis, tunc vermes prolixiuntur,
et intestinum deserunt. Praeter haec ad dolores et spasmos
mitigandos adhibemus tantum blandissima, interne emul-
sionem oleoso-gummosam, externe cataplasma emolliens
vel emollienti-narcoticum, abdomini inungimus oleum oli-
varum vel amygdalarum, vel hyoscyami coctum.

§. 92.

Cura anthelmintica nunc exposita modificari debet pro
diversitate speciei vermis intestinalis; contra trichocepha-

lum disparem quidem specificam methodum non possidemus, sed eandem, quam contra ascarides lumbricoides et oxyuros vermiculares ratio et experientia suadet, adhibemus.

Ascarides lumbricoides subinde pertingunt in ventriculum, ubi excitant symptomata graviora gastrica ut plurimum febri juncta, et tunc tartarus emeticus scopo emesim cendi indicatus est. Longe frequentius tamen ascarides lumbricoides retinent sedem suam in tubo intestinali, et tunc remedia purgantia et anthelmintica simul adhiberi debent; laudatur a nonnullis decoctum mercurii vivi, quod subinde ut aqua majori quantitate hausta prodest, saepius tamen efficaciam nullam manifestat. Maximam sibi laudem meruit contra hos vermes semen santonici, in primis forma a Störck proposita, pulveris seminis santonici, pulveris radicis valerianae sylvestris, pulveris radicis jalappae, arcani duplicati ana drachma semis usque duae, miscentur invicem cum oxymellis scillae sufficienti quantitate ut fiat electuarium, sumitque aeger omni tertia vel quarta hora uno cochlari coffeaceo; et saepe hoc unico pharmaco per plures septimanas adhibito a vermis liberatur. Non raro infantes et pueri electuarium valde difficulter sumunt, illis exhibemus pulveris seminis santonici scrupulum semis, mane et vesperi vel forma pulveris cum saccharo, vel forma boli aut pilulae cum melle despumato, vel melle rosarum vel syrupo quoddam grato. Remedio hoc per unam alteram vel septimanam adhibito praescribimus purgantem medicinam, resinae jalappae et calomelis ana grana duo pro infantibus, adultioribus grana quatuor usque decem forma pulveris vel pilularum. Ascaridibus evacuatis et symptomatibus morbos silentibus remedia anthelmintica et purgantia diutius continuari nunquam debent, partim irritando tubum intestinalem secretionem morbosam provocant, partim organismum totum debilitant, quae debilitas per vitae regimen rorans, per pharmaca tonica jam amara, jam amaro-aromatica, jam martialia tollitur.

Saepe difficultior est cura ascaridum vel oxyurorum vermicularium, nisi restricti sint tantum ad intestinum

rectum; tunc saepe sufficit, conum oblongum tenuem e frusto saponis vel laridi confectum melle illinitum vel sale conspersum et filo alligatum intestino recto imponere, post aliquam moram extrahitur cum copiosissimis vermiculis adhaerentibus; eodem effectu adhibetur conus similis e lana vel gossypio confectus et oleo tanaceti tinetus. Interim saepe ascarides vermiculares altius serpunt in tubum intestinalem, et tunc requiritur alia methodus. Bremer etiam contra hos vermes maxime commendat electuarium anthelminthicum Störckii, quo per unam alteram-ve septimanam adhibito, vermibus nedum evacuatis praescribit clyisma ex infuso radicis valeriana sylvestris et seminum tanaceti cum melle vel oleo vel extracto fellis tauri. Berends maxime commendat conservae helminthocorton seu corallinae Corsicanae drachmam unam usque duas, ut coquatur in sufficienti quantitate aquae per quadrantem horae, colatura unciarum trium saccharo edulcoratum hauritur mane jejuno stomacho per tres quatuor-ve dies, dein exhibetur purgans ex infuso rhei aquoso; vel praescribit seminum citri contritorum numero duodecim usque quindecim, coquuntur in quatuor unciis lactis vaccini per medium horam, expressa filtrantur et saccharo edulcoratum hauriatur mane per tres quatuor-ve dies. J. P. Frank maxime commendat pulvèris radicis rhei cum cinnabaris artificialis ana drachman semis. Nos effectu desiderato praescribimus infantibus pulvèris radicis rhei chinensis grana quatuor, calomelis granum unum; adultioribus, quorum tubus intestinalis ob mucum accumulatum torpidior est, ordinamus resinae jalappae, calomelis ana grana quatuor, subinde addimus aloës selectae granum semis. Alvi evacuationibus pluribus secutis, quin vermes minime expulsi fuerint, magna cum probabilitate concludimus, vermes tantum in intestino recto nidulari, tunc remedium optimum est clyisma ex aqua frigida sola cum aceto; effectu haud obtento clysmati addimus salem communem vel amarum; in morbo pertinaciore suademus clysmata ex decocto allii cum lacte; vel praescribimus seminum tanaceti aut santonie drachmani semis atque duas, ut coquatur in

lactis vaccini sufficienti quantitate per medium horam , colaturaे unciarum trium addantur aloës selectae grana quatuor pro uno clysmate; subinde adhibitum fuit decoctum foliorum nicotianae tabaci et fumus eorumdem; nunquam tamen clysmata talia irritantia apud aegros teneriores et irritabiliores, apud infantes, pueros, puellas vel mulieres adhibemus, sed tantum subinde apud viros torpidiores, et etiam apud eos post clysmatum talium usum non raro remanet dolor molestus in intestino recto cum alvi obstipatione pertinaciore ita, ut tunc externe cataplasma et clysmata emollientia, interne decocta emollientia vel emulsio oleoso-gummosa adhiberi debeant.

§. 93.

Adhuc difficillor est cura vermium latorum; non raro quidem pharmacis iisdem, quae contra ascarides laudavimus, expelluntur etiam vermes lati, sic Reinlein laudat sales purgantes, in primis salem amarum, Schmucker semina sabadillae, plures semina santonici; saepius tamen remedia illa effectu salutari destituebantur, atque medici coacti fuerunt ad alia remedia recurrere. Commandantur methodus diversae a Nouffer, Herrenschwand, Odier, Matthieu, Beck, Schmidt, Bourdier, etc. quae methodi omnes continent plura pharmaca, et quidem purgantia drastica, ut gummi-guttam, scammonium, helleborum, calomelam dosi magna, quibus aliqui admiscent etiam arcanum duplicatum et folia sennae, dein vero addunt anthelmintica, ut radicem polypodii filicis maris, radicem valeriana sylvestris, stannum granulatum vel limatum etc. Ex observationibus multiplicibus deducimus resultatum, nullam methodum esse ita specificam, ut semper proposit contra vermes latos; ideo conamur e pharmacis experientia probatis secundum statum individualem aegri maxime congrua seligere.

Ad curam aegrum præparamus per tres quatuor-ve dies victum exhibendo tenuem, tantum jusculum cum pane; aliqui commendant simul haleces et pernam sale conditam.

Pharmacum multa experientia probatum contra vermes latos est radix polypodii filicis maris, quae continet in se principium peculiare acre resinorum, nendum exacte definitum; laudatur contra utramque speciem vermis lati, plures tamen observationes probant virtutem ejus specificam contra bothriocephalum latum, exhibetur varia methodo, efficax et simplex est ab Odier proposita; aegro aliquot diebus per victimum tenuem praeparato mane jejuno stomacho exhibentur pulveris polypodii filicis maris drachmae tres in aqua florum tiliae, si eas vomitu rejiceret, eadem dosis mox repetitur, post duas autem horas sumit aeger olei ricini Americani recenter pressi uncias tres; non raro unica dosis sufficit ad vermem expellendum, quod si non contigerit secundo, tertio-ve die iterum repetebatur medicina.

Facilior est methodus a Bourdier laudata; aegro per tres quatuor-ve dies victu tenui praeparato praescribitur decoctum saturatum radicis polypodii filicis maris ex uncia una ad colaturam unciarum sex usque octo cum aetheris vitrioli drachma una, ut sumatur omni bihorio duobus cochlearibus; non raro jam post duodecim horas sentit aeger in abdomine motum vermis et termina aliqua; tunc exhibetur eidem olei ricini cum saccharo uncia una usque duae, donec alvi evacuationes productas fuerint. Dum vermis in intestino tenui residet, tunc facile expellitur, sed dum sedem suam in intestino crasso habet, tunc difficilius secedit; tunc debet remedium idem per duos tres-ve dies repeti, et statim altero die simul clyisma exhiberi ex decocto saturato radicis polypodii filicis maris cum aetheris vitrioli drachmis duabus, post cuius actionem sequitur evacuatio, primo excrementorum, dein muci, et tandem vermis non raro jam corrupti.

Methodum adhuc simpliciorem docuit Peschier, qui radicem filicis maris macerat in aethere vitrioli, dein in balneo mariae instituit destillationem, atque principium efficax hac ratione obtentum oleosum, secundum alias resinorum cum aethere vitrioli combinatum cum extracto e radice filicis maris parato adhibet forma pilulae pro una

pilula sumit principii efficacis guttam unam, asseritque octo tales pilulas mane jejuno stomacho sumtas suffecisse ad bothrioccephalum latum expellendum. Observationes tamen plures non loquuntur pro efficacia hujus pharmaci.

Contra taeniam solium Linnei majores sibi laudes meruit stannum purum a Pallas, Alston, J.P. Frank et Hufeland commendatum; a nonnullis rasum, a pluribus tamen granulatum et purissimum Anglicum adhibetur; aegro per tres quatuor-ve dies diaeta tenuissima praeparato praescribitur stanni purissimi anglicani granulati uncia una, extracti absinthii drachmae tres, misceatur exactissime cum mellis despumati sufficienti quantitate, ut fiat electuarium, ex quo aeger sumat omni tertia hora uno cochleari coffeaceo; et si dosibus duabus absuntis nec vermis expulsus; nec alvi evacuatio sufficiens sequeretur, tunc addantur eidem electuario pulveris radicis jalappae drachmae duae.

Remedia laudata saepe proficia votis tamen non respondent semper, et tunc coacti sumus ad alia recurrere; secundum observationes repetitas tam contra vermes teretes, quam contra latos saepe efficacissima medicina est oleum destillatum terebinthinae pro dosi hamaphagica ad unciam unam usque duas sumtum; dum vermis nidulatur in intestino recto, vel colon descendente, tunc clysmatis ope injicitur.

Contra vermes latos, in primis contra taeniam solium Linnei Bremer maxime laudat oleum destillatum Chaberti ita, ut aeger per unam alteram-ve septimanam sumat electuarium anthelminthicum Störkii; postea ex oleo Chaberti mane et vesperi uno cochleari coffeaceo; ad saporem ingratum tollendum eluat aeger os aqua recenti, et partem aquae deglutiat; non raro sub exordio experitur aeger vertiginem et cephalaeam, tunc dosis imminuatur; intra paucos dies assuefit palatum et ventriculus pharmaconi huic ingrato; quod dum sipe incommodis fertur, augetur dosis hamaphagica ad cochlearia coffeacea duo; ita continuatur usus remedii per decem usque duodecim dies, donec absuntae fuerint olci Chaberti unciae duae usque tres; tunc

uno die intermittitur usus remedii, et exhibetur purgans e pulveris radicis jalappae, foliorum sennae, arcani duplicati ana drachma semis, divide in tres partes aequales, et omni tertia hora unus pulvis sumatur; postea continuatur usus olei Chaberti, donec vermis expulsus est; ad quem scopum saepe suffecerunt unciae quatuor, subinde unciae octo. Medicinae hujus ingratae usus tolerabilis redditur per id, quod aegri non sint adstricti ad diaetam tenuem. Verme expulso saepe nullis symptomatibus posthumis praesentibus, nulla ulterior cura necessaria est, saepe tamen secretio morbosa mucosum continuat, et tunc commendat auctor tinteturam aloë cum tinctura martis pomata et elixirio vitrioli Anglicano, in cujus medicinae compositae vicem praestat simpliciorem tonicam adhibere.

Secundum observationes recentissimas possidemus remedium simplicius et saepe efficacissimum contra vermes latos, initio in India orientali, dein in Anglia, nunc jam in tota Europa culta comprobatum in cortice radicis granatorum; postquam aegrum per dies paucos victu tenui preparavimus, praescribimus corticis radicis granatorum uncias duas, maceretur per duodecim horas in aquae communis libra una et semi, dein coquatur ad remanentiam librae unius, colatura detur, et eam aeger absumat mane jejuno stomacho ad tres vices, omni media hora unam tertiam partem hauriendo; saepe jam sufficit unica dosis ad vermem expellendum, quod si non evenerit, interposito uno altero ve die, medicina semel aut bis repeti potest.

Subinde anthelminthica omnia laudata vermes, in primis latos non expellunt; tunc cum cautela tentari possunt purgantia drastica; Selle maxime commendat gummi-guttam, exhibetque aegro mane jejuno stomacho grana decem, effectu haud secuto post duas horas iterum grana decem, et effectu nedum obtento post duas horas iterum grana decem. Recentiores laudant oleum crotonis tiglii ad guttam unam usque duas; interim drastica haec pharmaca facile enteritidem periculosam inducere possunt.

Subinde contingit ut vermis latus propendeat ex intestino recto, tunc caute extrahi debet, ne laceretur; in uno casu bacillo tenui circumvolvebatur et lentissime extrahebatur. Frank pro enecando vermi commendat, ut pars ejus propendens aqua lauro-cerasi, vel amygdalarum amararum perspergatur; eadem pharmatica aliqui commendant etiam interne contra vermes aliis pharmacis rebelles; sed experimenta plura a Pomer instituta docuerunt pharmacorum eorum inefficaciam. Dum conatus nostros in expellendis vermibus latissimis inanes experimus esse, aegrum anterioribus tentaminibus facile periculosis haud affligimus; saepe mora breviori vel longiori concessa curam successu meliori perficimus; interim commendamus vitae regimen congruum, evitationem causarum, observatione cognitarum, per quas symptomata molesta augmentur, quae in plurimis casibus mitigantur per usum lactis; debilitate autem praesente non raro pharmaca tonica, amara, martialia, cortex cinchonae plus praestant quam remedia anthelmintica specifica, et subinde energia vitali erecta vermis sponte secedit.

Cura feliciter peracta ad regenerationem vermium impediendam in primis necesse est causas nocentes evitare, alimenta et potulenta congrua adhibere, in aere puro et sicco versari, munditiem observare, vitam non otiosam sed activam ducere.

H Y D R O P E S.

H Y D R O P S C U T A N E U S.

§. 94.

Hydrops cutaneus vocatur etiam hydrops intercursus, et quia sedem habet in cellulis textus cellulosi vocatur hydrops cellularis, dum late extenditur per partem majorem integumentorum communium hydrops cutaneus universalis seu anasarca; dum restrictus est

tantum ad unam partem cutis, tunc oedema, dum tumor talis hydropticus est attactu durior, tensus, impressionem digitii tantum levem recipiens, tunc vocatur leucophlegmatia; putabantque olim, talem tumorem distinctae naturae esse, produci quippe a lympha coagulabili spissiore, oedema vero a sero tenuiore, donec disquisitiones anatomico-pathologicae docuerunt, differentiam hanc minime esse fundatam; dum hydrops cutaneus in minori gradu adest, ut cellulae adhuc a sero parum extensae sint, tunc consti-tuunt tumorem duriorem; in oedemate cellulae magis extensae reperiuntur. Oedema observatur in diversis partibus cutis, frequentissime quidem occurrit in pede extremo, circa malleolos, non raro in dorso manus, in facie, in palpebris oculorum, in scroto, quod subinde ab oedemate extenditur in molem magnam, unde aeger cogit crura ab invicem multum divaricare, et impeditus est tam in incessu quam in sessione; non raro extenditur tumor oedematosus etiam in penem, cuius praeputium monstrose intumescit ita, ut urina rivo aequali effluere nequeat, sed per superficiem praeputii tumidi et scrotum defluat, cutim irritet et saepe moleste excoriet; subinde occurrit oedema in genitalibus externis foemineis, in labiis majoribus, subinde in mamnis; non raro observatur oedema in parte capillata capitis et quidem subinde haeret serum morbose collectum inter cutim et musculos cranii et expansionem aponeuroticam; subinde vero serum colligitur inter galeam aponeuroticam et pericranium, et tunc tumor durus extenditur facile per totum cranium ab arcubus superciliaribus usque ad regionem occipitalem, estque cum febri, cephalaea intensa, subinde etiam delirio nexus, dicitur hydrops capitis externus. Saepe oedema partem quam tenet non deserit, oedema fixum, subinde e parte una cutis disparet et in aliam migrat, hydrops cutaneus vagus. Non raro ex hydrope topico evolvitur universalis, qui incipit in plurimis casibus circa malleolos, inde extenditur per crura, femora, abdomen, et sic in reliquum corpus.

Diagnosis hydropsis cutanei est in plurimis casibus facilis; tumor enim hydropicus, mollis, frigidus, cuti concolor, indolens, a dito comprimente foveam relinquens visu et tactu cognoscitur, et dum superficialis est saepe praeter deformitatem nullum aliud symptoma inducit; subinde tamen hydrops talis per cellulosa penetrat usque ad musculos, imo usque ad ossa, et tunc muscularum, nervorum et vasorum cutaneorum functiones impedit, ideo tunc cutis hydropica est minus sensibilis, tactus obtusus, mobilitas partis est impedita, et non raro pars oedematosae evadit paralytica; ob circulationem impeditam imminuitur nutritio et caloris animalis evolutio; subinde cutis hydro-pica tumida corripitur inflammatione jam mitiore, jam intensiore, tunc rubet, tumet, calet, dolet et saepe febrim sibi junctam habet. Praeter haec symptomata topica adsunt etiam generalia hydropsis, cutis nempe utplurimum sicca, urina parca jam fusca, jam turbida, sedimento jam albo, jam rubro instructa.

Walker, Diss. de hydrope intercute seu anasarca. Lugd. Batav. 1688.

Cartheuser, Diss. de leucophlegmatia. Francfurti. 1760.

Pauli, Diss. de oedematis natura et cura. Lipsiae. 1785.

G. G. Kühn, von den wässrigen Geschwülsten und deren Behandlung, Leipzig. 1793.

Gunning, Diss. de hydrope anasarca. Edinburgi. 1802.

§. 95.

Ex symptomatibus in integumentis communibus apparentibus hydropem cutaneum praesentem facile cognoscimus; ut tamen naturam ejus individualem definire valeamus, in scopum prognosis et therapiae conamur in singulo casu etiam causas ejus individuales eruere. Homines plurimi in hanc speciem hydropsis dispositi sunt, nam in omni aetate et omni sexu frequentissime observatur, ii tamen qui temperamento sic dicto phlegmatico instructi sunt, aetas tenerior et sexus foemineus citius hoc morbo corripiuntur; dispositione tali praesente causae diversae excitant morbum;

ut refrigerium, irritatio cutis per applicationem sinapis-morum, emplastri cantharidum, hirudinum, cencubitalium cruentarum, per inflammationem cutis erysipelaceam, per exanthemata, in primis per scarlatinam; subinde compressio mechanica vasorum absorbentium, ita qui nimis diu stant aut sedent, non raro oedemata pedum acquirunt, quae etiam graviditatis symptoma haud rarum constituant; subinde inducitur hydrops cutis antagonistice, dum evacuationes aliae ut haemorrhagiae, blennorrhoeae, diarrhoeae, dysenteriae subito supprimuntur; provocatur subinde per otium nimium, per tristitiam, per evacuationes nimias, febrem intermittentem, per morbos alios graves, tam acutos quam chronicos, per phthisim, scirrum, cancrum, eritque hydrops evolutus pro diversitate constitutionis individualis et pro diversitate indolis potentiarum nocentium jam cum charactere inflammatory energico, jam cum charactere asthenico, et quidem erethistico aut torpido, atque pro diversitate momentorum horum est etiam prognosis diversa.

§. 96.

Hydrops cutaneus in genere minimis periculis stipatur; saepe actione potentiarum nocentium silentie sponte per autocratiam naturae dissipatur; sed dum causae nocentes perdurant, dum in organismo debilitas ad gradum majorem evecta est, dum per vitia organica, ut phthisim ulcerosam, scirrum, carcinoma sustentatur, tunc saepe omnibus artis conaminibus resistit; non raro e partibus externis in cavum abdominis, pectoris vel cranii propagatur, et in casibus rarioribus subito, in casibus plurimis lente, postquam aegrün diu afflitit, enecat, nisi therapia rationalis mature adhibita fuerit.

Indicationem curae primam dirigimus contra causas excitantes adhuc praesentes, ut irritamenta cutis topica vel antagonistica, et causas debilitantes removeamus; dein vero characteris dynamico-organici hydropem sustentantis rationem peculiarem habemus. Si characterem eum ex symptomatibus et ex indole causarum cognovimus esse in-

flammatorio-energicum, tunc methodum anti-phlogisticam, ipsam sanguinis evacuationem, raro universalem, saepius tantum topicam hirudinum ope adhibebimus. Frequentius sufficit methodus anti-phlogistica mitior, decoctum emollientis, ut hordei cum oxymelle simplici, nitro et cremore tartari. Neque tamen hac methodo omnis hydrops cutaneus sanatur; saepe character dynamico-organicus est asthenicus, et quidem jam erethisticus, jam torpidus, tunc pharmaca gradui debilitatis et hypererethisiae accomoda seligimus secundum principia therapeutica de hydrope in genere exposta, jam amara, jam aromatica, jam narcotica, jam aetherea, jam martialia indicata sunt, subinde etiam cortex cinchonae, dum hydrops cutaneus per febrim intermittentem excitatus fuit. Morbo per curam causalem haud dissipato indicatio ulterior est, ut serum morbose collectum evanescetur, quod in primis in hydrope per refrigerium inducto obtinemus per diaphoretica, ut infusum florum sambuci, tiliae, tepidum, per roob sambuci, spiritum Mindereri, saepe per camphoram dosi parva ad granum semis, unum pro nycthemero in connubio nitri ad scrupulum unum usque ad drachmam unam cum saccharo; ad diaphoresim promovendam indicatus est etiam calor externus aliquantum major, quare pannos calefactos in primis fumo baccarum juniperi, vel gummi-resinarum benzoës, elemi, myrrhae, olibanii, storacis aut succini imbutos, arenam vel cineres calidos, subinde sacculos herbis aromaticis repletos, et tenuiter camphora illinitos cuti applicamus; subinde lotiones cum vino, cremato, spiritu aromatico, spiritu juniperi, spiritu vini camphorato, in casibus rarioribus etiam balneum tepidum, balneum vaporis ad scopum deduxerunt. Saepe tamen ad evacuationem seri obtinendam remedia diuretica sunt necessaria, saepius blandiora, ut nitrum et cremor tartari, non raro magis efficacia, ut radix ononis spinosae, baccae juniperi, roob juniperi, sal tartari, scilla marina; rarissime requiruntur potentiora diuretica.

In casibus nonnullis per pharmaca interna qualiaunque aquae infra cutim collectae haud evacuantur; observatio

autem docuit, vulnero cutaneo per accidens enato, vel ulcere in parte erysipelacea subsecuto subinde aquas omnes defluere et hydropem cutaneum feliciter dissipari, ideo naturam imitamus, et incisiones in cutim instituimus, minime tamen in omnianasarca; si aeger jam valde enervatus est, si dispositione peculiari pollet in phlogosim, tunc per vulnus illatum facile excitatur inflammatio periculosula per cutim extensa, et cito in sphacelum transiens; in tali casu, ne aeger periculo majori exponatur, incisionem dissuademus, sed si aeger viribus pollet, metus inflammationis periculosae nullus subversatur, pharmaca autem ad serum evacuandum non sufficient, tunc scarifieatio cutis indicata est; frequentissime ad malleolos externos instituitur incisio, et non raro per hanc simplicem operationem scopus desideratus obtinetur. Ad praecavendam suppurationem molestam vulnus obtegitur fomentis aromaticis siccis cum camphora, metu gangraenae praesente fomenta aromatico-vinosa, et ex chlorio adhibeantur.

Facta feliciter evacuatione seri ad accumulationem ejus novant, impediendam cutis et totus organismus methodo blande roborante firmari debet; contra oedemata pedum simul compressio mechanica per fascias a digitis pedum incipiendo usque ad genua et ultro applicitas, vel per tibialia rite constructa necessaria est.

HYDROCEPHALUS.

§. 97.

Hydrocephalus in genere dicitur omnis collectio seri in capite, distinguiturque hydrocephalus externus dum serum collectum est in textu celluloso subcutaneo cranii vel infra galeam aponeuroticam, vel quod rarissimum est infra pericranium; a recentioribus consideratur ut species hydropis cutanei et vocatur oedema capitis,

distinguiturque multum a hydrocephalo interno, ubi serum accumulatum est in cavo crani, et quidem subinde talis collectio morbosa aquae observata fuit in duplicatura durae matris, in processu falciformi majori, in tentorio cerebelli, frequentius inter duram matrem et arachnoideam vel inter arachnoideam et piam matrem, diciturque hydrocephalus meningeus; frequentius detectitur serum in ipsa substantia cerebri, et quidem subinde tota substantia cerebri est mollis spongiae instar, aqua pressione leni effluit, dicitur oedema cerebri; saepius serum accumulatum est in ventriculis cerebri, et quidem aquae libere fluctuant; tunc frequentissime omnes ventriculi cerebri continent serum; subinde serum est sacco inclusum, et talis hydrops saccatus in ventriculis cerebri anterioribus subinde tantum in uno residet, estque liquidum in cavo crani repertum jam paucarum tantum unciarum, jam plurium librarum, diversae qualitatis, saepe pellucidum, aquosum, saepe floccis, materia puriformi, subinde sanguine mixtum, quae singula in cadavere quidem demonstrari possunt, sed in aegro vivo sedes; quantitas et qualitas liquidi morboi difficulter determinantur. Morbus jam ab Hippocrate observatus per conatus recentiorum clarior redditus est.

R. Whytt, Observations on the dropsy in the brain. Edinburgh. 1768.

C. W. Quin, a treatise on the dropsy of the brain, illustrated by a variety of cases. London. 1790.

Ludwig, Diss. de hydrops cerebri puerorum. Lipsiae. 1774.

* Quin, Abhandlung über die Gehirnhöhlen-wassersucht. Leipzig. 1792.

F. K. Bader, Geschichte der Wassersucht der Gehirnhöhlen, oder des Schlagflusses der Kinder, Frankfurt und Leipzig. 1704.

P. F. Hopfengärtner, Untersuchung über die Natur und Behandlung der verschiedenen Arten der Gehirnwassersucht. Stuttgart. 1802.

J. und K. Wenzel, Bemerkungen über die Hirnwassersucht.
Tübingen. 1806.

J. Cheyne, essay on the Hydrocephalus acutus. Edinburgh.
1809. London. 1819.

— Versuch über den acuten Wasserkopf. Bremen. 1809.

L. Formey, von der Wassersucht der Gehirnhöhlen. Berlin.
1810.

J. Portenschlag, Abhandlung über den Wasserkopf. Wien.
1812.

J. C. Smith, a treatise on hydrocephalus, or dropsy of the
brain. London. 1814.

J. F. Coindet, mémoire sur l' hydrencéphale ou céphalite in-
terne hydrencéphalique. Paris et Genève. 1817.

L. A. Gölis, von der hitzigen Gehirnwassersucht. Wien. 1820.

J. Bricheteau, traité théorique et pratique de l' hydrocé-
phale aigue ou fièvre cérébrale des enfans. Paris. 1829.

Charpentier, de la nature et du traitement de la maladie
dite hydrocéphale aigue, méningo-céphalite des enfans. Pa-
ris. 1829.

§. 98.

Décursus morbi est subinde acutissimus, infansappa-
renter samus, subito corripitur febri, horripilatione et fri-
gore brevi durantibus, calore dein continuo intenso cum
cephalaea magna, vomitratione, vomitu, accedentibusque
convulsionibus aeger spatio viginti quatuor horarum ex-
stinguitur; disquisitione anatomico-pathologica facta in
cavo cranii et quidem frequentius in ventriculis cerebri re-
peritur serum majori quantitate; ideo appellatur etiam haec
species hydrocephali a Cullen *apoplexia hydrocephalica*
a Gölis et Bader *apoplexia serosa*. In casibus frequen-
tioribus excurrit morbus per unam, duas, tresve septima-
nas, atque tunc stadia morbi distingui possunt quatuor:
nempe congestionis, inflammationis, secretionis et paraly-
tico-convulsivum, quae diebus certis affixa non sunt; nam
subinde singulum stadium per unum alterumve diem, sub-
inde per septem et plures etiam durat, et non nisi atten-

tione magna adhibita discerni possunt, quae distinctio tamen relate ad prognosim et curam summi momenti est.

Stadium primum, congestionis seu prodromorum seu opportunitatis seu turgescentiae, se manifestat symptomatibus congestionem majorem sanguinis in encephalon indicantibus; infantes antea jucundi hilares evadunt morosi, tristes, taciturni, lusibus suis consuetis non delectantur, nec cum personis sibi antea caris libenter conversantur, ipsae cantilenae nutricium secus gravissimae illis evadunt molestae; febris nulla observatur, sed tamen calor capitis est aliquantum major, et si infantes jam loquuntur, accusant aliquem capitis dolorem, gravitatem, propterea caput diu erectum servare non valent, sed sustentant; color faciei suepe mutatur, ita ut genae jam sint magis rubicundae, jam magis pallidae; oculi et aures non dolent quidem, sed redundunt sensibiliores ita, ut lucem majorem et strepitum vitare conentur; in multis jam sub hoc stadio somnolentia est major, plures tamen somnum nullum vel inquietum habent ita, ut in somno contremiscant et cum fletu excitentur; peculiare phaenomenon observatur in incessu, si jam infantes ambularunt, statim sub exordio morbi pedes cum aliqua difficultate movent, etiam in plano alto elevant, acsi gradus scandere deberent, titubant et nullo obstaculo praesento facile cadunt. Dum symptomata enumerata ipsius cerebri affectionem indicantia jam citis jam lentis passibus evolvuntur, etiam functiones vitae organicae a statu normali recedunt; raro appetitus cibi bonis continuat, in longo plurimis comparet anorexia, semper crescens cum nausea, vomititione et vomitu, licet sa- burra nulla ab ingestis generata adsit, propterea abdomen est collapsum, et corpus cito emaciatur; alvus est frequen- tissime obstipa, paucissimi diarrhoea faeces virides liquidas eyacuant; urina est turbida, albo-subopaca, lacti aqua diluto similis, quiete deponit sedimentum album. Sympto- mata haec jam panceiora jam plura semper evolvuntur in stadio morbi primo, neque tamen ex iis semper cum pro- babilitate annunciaro possumus futurum hydrocephalum,

nam sub dentitione difficiili, sub febri nervosa incipiente, febri intermittente pernicioса cephalieа; et sub febri verminosa, ut fundate exponit W i c h m a n n, eadem fere phaenomena observantur; sed si nobis notum fuerit, jam in eadem familia adfuisse proles hoc morbo affectos, si momenta pathogenetica praecesserint hunc potius quam alium morbum producere valentia, tunc saepe ex combinatione omnium symptomatum inter se cum magna probabilitate cognoscimus stadium primum morbi, et per therapiam congruam ulterioreм ejus evolutionem impedire valamus; quod si factum fuerit excurrit hoc stadium per dies tres, quatuor, septem usque quatuordecim, et tunc comparet:

Stadium secundum, inflammatorium; quod jam symptomatis magis evolutis insignitum est; febris antea vix perceptibilis nunc semper comparet jam mitior, jam saepe intensa; horripilatio et frigus brevi quidem tempore durant, sed calor dein continuus et siccus est, vesperi intensior, versus horas matutinas mitior; pulsus arteriarum est frequens, inaequalis, irregularis ita, ut variet numero, duritate et magnitudine; aeger siti torquetur magna, cephalaea sub hoc stadio nunquam desist; et caput magis calidum ita grave est, ut aeger illud sustentare non valeat, ideo potissimum inclinatum in latus alterutrum gerit; sub motu omni capitinis incrementum doloris percipit, ideo motum omnem valde horret, ut plurimum jacet non quidem diu in lecto, nam inquietus anxius quaerit levamen, ideo postquam brevi tempore jacuit orat iterum elevari, portari, et mox iterum in lectum deponi; sub motu capitinis saepe ejulat; sensibilitas oculorum et aurium est multum exaltata, ideo lucis impatientia major, pupilla apud plurimos coarctata; strepitus omnis molestus; appetitus cibi nullus, vomitus tamen frequens, partim mucosus, partim biliosus, quea evacuatio provocatur sympathice ab affectione encephali; alvus est obstipa, urina parca, flammœa, aeger somnolentus; in nonnullis aegris adnotante F o r m e y comparent in cuti papulae vel maculae parvae rubicundæ, supradictum parum elevatae, subinde deliria et convulsiones lo-

cum habent; et non pauci aegri in defectu therapiæ rationalis, autocratia naturæ haud sufficiens, inter convulsiones apoplectice extinguntur; secus durat hoc stadium per tres, quatuor, subinde septem dies et transit in

Stadium tertium, nempe secretionis, seu transsudationis, seu semiparalyticum, in quo symptomata febris prægressæ cessant, calor evadit normalis, sitis non affligit, pulsus antea frequens nunc redditur tardus ita, ut intra minutum numerentur 70, 60—50, non obstante hac remissione febris sanitas haud revertitur, debilitas muscularis adeo increscit, ut jam nunc aeger continuo jaceat; dum caput ejus elevatur, evadit inquietus, facies rubet, ob capitum dolores aeger ejulat, et non raro convellitur; visus et auditus ita obtunduntur, ut pupilla in plurimis sit dilatata, luce majori admota initio conjicitur in motum oscillatorium, dein immobilis haeret, subinde luscitas, subinde visus duplicatus, apud omnes visus obscurus adnotantur; infantes, antea ingeniosi sub hoc stadio sunt fatui, hebetes, memoria eorum ita labefactatur, ut nec personas sibi caras agnoscant; vox etiam est imperfecta, loquela impedita, appetitus cibi nullus, alvus obstipatus, urina parca, turbida; duratque hoc stadium per tres, quatuor usque septem dies, dein sequitur

Stadium quartum seu paralytico-convulsivum, in quo febris aliquo tempore silens iterum re-crudescit, calor augetur, pulsus frequentior redditur, aeger antea soporosus nunc iterum evigilat, objecta aliqua et personas sibi caras agnoscit, voces aliquas profert, cibum sibi oblatum avide deglutit, subinde etiam urinam majori quantitate evacuat, et per haec phænomena spem restituendæ sanitatis excitat; interim brevi tristes experimur ea tantum fuisse symptomata conaminis ultimi naturæ mortem avertere volentis; mox enim concidunt vires, comparent deliria, convulsiones terribiles cum spasmis tetanicis subin alternant, iisque silentibus paralysis se manifestat, pupilla fit immobilis, visus est nullus, auditus adhuc aliquis, alvus et urina inscie evacuantur, cutis sudore colli-

quativo perfunditur, abdomen meteoretice intumescit, vox extinguitur, deglutitio ob paralysim orgadorum impossibilis, respiratio stertorosa redditur, pulsus tanguntur filiformes cum tendinum subsultu, et sic aeger pacatus die tertio vel quarto, rarissime septimo moritur.

§. 99.

E symptomatibus enumeratis attente inter se combinatis etiamsi non in primo, saltem in secundo, eo magis in tertio stadio hydrocephalus internus acutus summa cum probabilitate agnosci et a morbis analogis, ut dentitione difficili, febri intermittente perniciosa cephalica, febri nervosa et verminosa distingui potest. Ad naturam tamen morbi definiendam etiam momenta pathogenetica exquiri debent. Dispositionem peculiarem in hunc morbum requiri observatio docet, quod proles plures ejusdem familiae, dum certam vitae periodum attigerunt, in hunc morbum incident, cujus dispositionis congenitae causas adhuc ignoramus; subinde sunt violentiae abdomini matris illatae, subinde morbi somatici tempore graviditatis tolerati, saepe animi affectus in primis metus et terror; observatores nempe testantur, a tempore illo, quo Europae pars major per revolutiones politicas bellis implicita fuisset, morbos systematici nervosi omnes, in specie etiam hydrocephalus frequentiores evasisse; et Gölis adnotat post obsidionem Viennae per Gallos factam, proles fuisse generatos complures, in quibus hydrocephalus internus cito evolutus est. Dispositio minor vel major congenita se manifestat sub periodo dentitionis a mense sexto nativitatis usque annum septimum, rarius post dentitionem secundam inchoatam usque annos pubertatis; exaltatur dispositio ea per morbos alios, scrofulas, rhachitidem, syphilidem, quibus aetas tenerior non raro affligitur ob vitia parentum. Dispositione praesente causae diversae excitantes provocant morbum, ut violentiae externe capiti illatae; sic dum sub partu difficili caput foetus diu incuneatum hacret in exitu pelvis, dum ad partum persicendum forcipis vel vectis usus minus

congruus factus est, tunc non raro per hanc compressionem mechanicam in cerebro inducitur talis mutatio, ut neonatus statim primis diebus post partum convellatur et extinguitur; tardius inducitur morbus, dum infantes cadunt, vel dum capite verberantur, dum iis potus spirituosi, vinum, crematum vel narcotica, in primis opium, decoctum capitum papaveris exhibentur, dum animi affectibus in primis ira vehementi corripiuntur, dum refrigerium admittitur, dum evacuationes, ut diarrhoea supprimuntur, vel morbi entis ut porrigo capitis vel faciei subito disparent, vel symptoma constituit aliorum morborum, in primis exanthematum, variolarum, morbillorum, frequentissime scarlatinae,

Causae omnes enumeratae in organismum ita agunt, ut congestio sanguinis major in encephalum locum habeat, qua haud sublata evolvitur processus inflammatorius, cuius productum est secretio morbosa seri, quod diversa quantitate et diversa qualitate praeditum excitat omnia symptomata morbi descripti, de quo statu dynamico-organico informamur etiam per investigationes anatomico-pathologicas; nam in cadaveribus ex hydrope cerebri demortuorum detegimus in tegumentis communibus sublatis ossa ipsa cranii livida a sanguine majori quantitate in ossa congesta, inter meninges, subinde in substantia cerebri, longe frequentius in ventriculis cerebri conspicimus serum magna quantitate accumulatum.

§. 100.

Morbus perfecte evolutus pertinet inter periculosissimos; dispositione congenita in gradu majori praesente, aegro jam ante morbi evolutionem cachexia affecto, sero majori quantitate vel spissiori secreto, artis conamina omnia eliduntur; nec tamen omnis hydrocephalus internus acutus letalis est; dispositione morbi non valde eminenti praesente, stadium primum vel secundum haud excedente, secretione seri tantum parciore locum habente, feliciter tollitur, dummodo therapia rationalis adhibetur.

Indicationem curae primam desumimus a causis excitantibus, quibus ut plurimum jam ante morbi evolutionem remotis status dynamico-organicus abnormis in toto organismo et in primis in encephalo omnem nostram attentionem requirit. Si morbus fuerit in stadio primo, nempe congestio-nis, tunc omnia ita coordinamus, ut causae congestionem augere valentes omnes arceantur, ideo aeger collocandus est in situm quasi sedentem, capite magis elevato, calor externus sit moderatus, cibi concedantur pauci, blandi, vegetabiles, minime stimulantes, pro potu aqua pura vel decoctum emolliens, vel emulsio amygdalarum dulcium; observetur quies corporis et animi magna; subinde comparent signa debilitatis muscularis, inquietudines, nervorum affectiones, cephalaea, animus morosus, tristis, quae me-tum excitant febris nervosae; cavendum tamen est ne phar-maca ulla stimulantia vel roborantia exhibeantur, ea enim maxime noxia sunt, et non raro morbum reddant incurabilem. Ita etiam appetitus cibi deletus, nausea, vomituratio facile excitant ideam febris gastricae; nunquam tamen emeticum exhibendum est, cujus actione congestio in encephalon ita augetur, ut saepe morbus dein nulla arte tolli pos-sit; sola methodus anti-phlogistica mitior in hoc stadio morbi proficia est; e pharmacis indicata sunt purgantia blandiora, in primis calomela, quam exhibemus ad granum unum, grana duo omni bishorio donec alvi evacuationes duas tres-ve secutae fuerint. Observationes numerosae a Gölis relatae, et hic etiam repetitae probant, hac methodo sim-plici morbum in stadio primo constitutum saepe feliciter sanari. Rarior tamen est occasio morbum in stadio primo tractandi, frequentius consilium medici expetitur contra morbum jam in majorem gradum evectum.

In stadio secundo methodus stimulans ob ideam febris nervosae asthenicae, vel emeticum ob ideam febris gastricae adhuc magis nocent; cum in hoc stadio semper adest in meningibus cerebri processus inflammatorius jam intensior jam mitior, ideo methodus anti-phlogistica semper est in-dicata, et quidem sanguinis evacuatio nunquam negligenda,

in aegro adultiori habitu plethorico praedito, sanguinis evacuatio universalis in brachio, subinde etiam repetenda institui debet, in aegro tenero inflammatione haud intensa praesente sufficit sanguinis evacuatio topica, subinde curbitularum cruentarum, frequentius hirudinum ope; quas, rationem habentes constitutionis individualis aegri et intensitatis morbi, numero duas usque viginti quatuor applicamus retro aures, regioni occipitali, subinde etiam regionibus temporalibus, haemorrhagiamque moderatam per unam alteram ve horam sustentamus. In non paucis casibus sola haec sanguinis evacuatio cum vitae regimine anti-phlogistico et cum decoctis emollientibus sufficit ad morbi gravis evolutionem ulteriorem impediendam. Saepe tamen continuant symptomata ominosa processus inflammatorii in meningibus, atque tunc applicatio aquae frigidae est maxime indicata. Formey infantem denudatum pectori et abdomini incumbentem in sinu matris vel nutricis servare, capitique ejus ex altitudine majori aquam pluribus amphoris adfundere jubet; nos frequentissime tantum linteal vel spongiam excavatam aquae frigidae immersimus, et iis moderate expressis cranium obtegimus; subinde nives vel glaciem contusam vesicae impositam in usum vocamus. Remedium hoc ita potens est, ut testante Formey subinde sine sanguinis evacuatione praemissa hydrocephalus sanatus sit. Dantur tamen casus non pauci, in quibus et post hujus remedii applicationem symptomata ominosa perdurant; tunc recurrimus ad pharmacum experientia multiplici probatum, nempe calomelam, exhibemusque infantibus usque annum aetatis secundum granum semis, unum omni bihorio, infantibus autem ultra secundum annum aetatis grana duo, usque dum alvi evacuationes binae secutae sint, ut plurimum virientes, quae indicant dosim pharmaci relative sufficientem.

Dum morbus in stadium tertium et quartum pertigit, tunc prognosis est ut plurimum infausta; subinde tamen etiam in hoc rerum statu desperato aegrum salvamus, formamusque indicationem curae duplensem; nempe primam ut secre-

tioneū seri morbosam ulteriorem impediamus; subinde
 status dynamico-organicus secretionem sustentans est ad-
 huc inflammatorius, ideo non obstantibus signis secretionis
 jam factae methodum anti-phlogisticam adhibemus, sangu-
 nis evacuationem moderatam hirudinum ope instituimus;
 simul fomenta frigida, et calomelam commendamus. Saepe
 tamen signa inflammationis energiae jam nulla observan-
 tur, tunc indicatio curae tantum altera locum habet, ab-
 sorptio nempe seri et evacuatio ejus partim per urinam,
 partim per sudorem promovenda, quem in finem maxime
 convenit interne calomela a grano semis usque grana duo,
 dosi nempe tali, ut quotidie alvus una altera-ve locum ha-
 beat, et digitalis purpurea aut in pulvere, unam quartam
 partem grani unius, granum semis, adultioribus granum
 unum usque grana duo, vel forma infusi infantibus grana
 quinque usque serupulum semis ad colaturam unciarum
 trium pro nycthemero praescribimus; externe unguentum
 hydrargyri cinereum cum unguento baccarum juniperi ca-
 piti deraso et spinae dorsi inungimus; simul perspiratio-
 nem cutis promovemus per calorem externum moderatum,
 per balnea tepida; his haud sufficientibus cuti imponimus
 sinapismos, antimonialia, emplastrum cantharidum, quorum
 effectu desiderato haud observato commendant aliqui, aegros
 pharmacis pluribus utique inanibus non esse affligendos,
 sed curam tantum eo dirigendam, ut aegri pacate morian-
 tur, quo scopo maxime laudant digitalem purpuream. In-
 terim observationes docuerunt, etiam morbum in summum
 gradum evectum subinde devictum fuisse per remedia sti-
 mulantia, roborantia casui individuali accomoda; ita refert
 Portenschlag, per se aegros duos jam symptomatibus
 paralytico-convulsivis praesentibus sanitati restitutos fu-
 isse, in primis usu decocti florū arnicæ. Cōindet testa-
 tur, morbum gravem devictum fuisse usu corticis cincho-
 nae et interne et forma clysmatis ordinato; atque sub ta-
 libus rerum adjunctis etiam alia stimulantia, ut valeriana,
 camphora, ammonia, spiritus cornu cervi, moschus subin-
 de utilia fuere.

Postquam per therapiam casui individuali adaequatam morbi periculosi symptomata remota sunt, tunc indicatio adhuc superest, ut recidiva praecaveatur, quem in finem charactere dynamico inflammatorio adhuc se manifestante methodus anti-phlogistica mitior, saltem vitae regimen anti-phlogisticum adhuc longiori tempore adhiberi debet; subinde tamen, si aeger jam ante morbi evolutionem debilis fuit, scrofulis vel rhachitide laboravit, signa observantur debilitatis verae, et convalescentia lente perficitur, tunc vitae regimen roborans, subinde etiam pharmaca robora-
tia requiruntur, qui casus tamen rarer est, frequentissime convalescentia brevi absolvitur. Dum cura omni rationali adhibita serum e cavo cranii evacuari non potest, proposita fuit paracentesis cranii, quae contra morbum acutum nunquam commendanda, in chronico subinde effectum salutarem habuit.

HYDROCEPHALUS INTERNUS CHRONICUS.

§. 101.

Hydrocephalus internus chronicus est collectio liquidi serosi in cavo cranii diu perdurans. Non quidem omne serum in ventriculis cerebri aut specu vertebrarum repertum indicat praesentiam hydropsis, nam in ipso statu normali, quemadmodum in cavo pleurae, pericardii, peritonaei et cellulis textus cellulosi liquidum serosum certa quantitate reperitur, ita simile liquidum ut jam Willis adnotavit et recentissime Magendie confirmavit, detegitur in ventriculis cerebri et specu vertebrarum, et quidem in viro mediae aetatis et mediae staturalis est hoc liquidum cephalo-spinale circiter trium unciarum; dum quantitas liquidi est multo major, status morbosus inducitur, et tunc liquidum illud jam est pellucidum aquae instar, jam subopacum albescens, flavescentia, virescens, saepe ichore vel

sanguine mixtum, non tantum plurium unciarum, sed etiam plurium librarum; subinde tantum ad meninges restrictus est, hydrocephalus chronicus meningeus, saepe in ventriculis reperitur jam libere fluctuans, jam saccatus, jam tantum partem minorem encephali occupans, jam per cerebrum totum extensus; talisque hydrocephalus internus chronicus non raro jam in utero matris efformatur, et cranium per serum morbose accumulatum ita monstrose extensem est, ut partus sine perforatione capitis perfici haud possit. Saepe partu quidem evacuatur foetus, sed mox post partum evolvitur morbus, subinde tardius post menses, annos; nec desunt exempla morbi aetate jam virili, aut senili se manifestantis, per symptomata diversa pro diversa sede, extensione, duratione et complicatione morbi. Non raro per liquidum intra meninges accumulatum cerebrum ipsum ad molem parvam compressum est; saepius per liquidum in ventriculis cerebri morbose accumulatum cerebrum ipsum cum ventriculis dilatatis extenditur instar sacci membranacei, qui contingit ossa cranii, quae per hanc dilatationem suturis diductis ab invicem separantur; caput monstrose magnum evadit, frons prominet, bulbi oculi protruduntur ex orbitis; non raro ossificatio est imperfecta, ut major pars ossis sit membranacea aut cartilaginea; nec tamen semper observatur haec ossificatio impedita et dilatatio suturarum, imo subinde suturae solito citius coalescunt, fontanellae disparent, caput non appareat majus; et tamen collectio seri morbosa locum habet; in omni casu caput redditur gravius ita, ut ab infantibus difficilius portetur, propterea sit fere semper inclinatum, aut alio corpore sustentatum; per liquidum morbose accumulatum cerebrum partim irritatur, partim comprimitur, et ideo evolvuntur in infantibus teneris spasmi chronici pharmacis communibus antispasmodicis haud cedentes, observantur paralyses jam unius jam alterius partis, in multis nullus est gustus, ut nullum saporem distinguant; olfactus, visus sunt debiles, obtusi et subinde nulli; ita etiam tactus est magis obtusus; tantum auditus aliquibus remanet; etiam exerci-

tium functionum intellectualium est impeditum ita, ut multi antea licet ingeniosi evadant hebetes et fatui. Nec loqui discunt, licet surdo-muti haud sint, nam clamant et ejulant; saepe etiam facultas movendi est impedita ita, ut tales infantes difficulter sugant, et aetate incremente difficulter incedant; etiam functiones vitae organicae, ut digestio, nutritio in statu imperfecto manent, propterea corpus pallidum, frigidum emaciatur. Neque tamen haec symptomata constantia sunt, nam exempla habemus infantum et adulorum hydrocephalo interno chronicō affectorum, ubi licet caput per serum morbose accumulatum monstrōse extensem fuit, tamen reliquum corpus bene nutritum et obesum apparuit; subinde et sensus externi illaesi manent, nec in exercitio facultatum intellectualium impedimentum locum habet; ideo ad morbum cognoscendum oportet omnia symptomata successive evoluta scrupulose colligere et inter se combinare.

S. Aurivillius, Diss. exhibens hydrocephalum internum animalium quadraginta quinque. Upsaliæ. 1763.

Büttner, Beschreibung des innern Wasserkopfes einer ein und dreissig-jährigen Person. Königsberg. 1773.

H. F. Meding, Diss. sistens observationem de hydrocephalo interno chronicō. Jenæ. 1820.

L. A. Gölis, vom innern chronischen Wasserkopfe, und von den verschiedenen Arten des äussern Wasserkopfes. Wien. 1824.

Magendie, Journal de physiologie expérimentale et pathologique. 1825. Jan. et Avril. 1827. Jan. et 1828.

§. 102.

Ad hydrocephalum chronicum generandum parentes conferre dubitari haud potest, cum observatio doceat, quod mater eadem infantes plures eodem morbo, vel saltem dispositione eminenti affectos genuerit; causae excitantes sub graviditate agentes saepe sunt ignotæ; subinde repeti possunt a morbis matris tempore graviditatis toleratis, potibus spirituosis excessive sumtis, ab animi-

affectibus violentis, ut ira, terrore; ideo tempore bellorum ultimorum morbus frequentius observatus est; subinde provocatur per violentias mechanicas abdomini matris illatas, ad quas refertur etiam coitus frequens tempore graviditatis; animadvertisente Gölis causa rarer, secus infantes primogeniti plurimi hydrocephalici esse deberent; subinde tempore partus compressio capitis locum habet, non raro tardius post nativitatem violentia capiti illata, refrigerium, potus spirituosi, venena narcotica, adstrictio mentis praematura et nimia, animi affectus vehementes, evacuationes habituales suppressae, efflorescentiae cutis evanidae, concurrentibus non raro cachexiis, ut scrofulis, rhachitide, syphilide vel arthritide morbum excitant.

§. 103.

Pro diversitate momentorum enumeratorum diversa est prognosis morbi; congenitus ut plurimum omni arti rebellis est; non raro jam primis vitae mensibus, frequentius tempore dentitionis inter convulsiones aegrum enecat; saepe vita minus perfecta protrahitur in annos plures, superaccidentibus aliis morbis hydrocephalus increscit, et aeger extinguitur. Subinde hydrocephalus congenitus vitas parcit per decem, viginti, imo triginta annos, nec omnis incurabilis est; imo vero observationes multas docent, etiam congenitum morbum, eo frequentius post nativitatem per influxus diversos evolutum therapiae rationali cedere.

Indicationem curae desumimus a causis excitantibus; ita evacuationes habituales suppressas studemus revocare; si efflorescentiae cutis evanidae induxerunt hydrocephalum, entim per balnea et epispastica irritamus; si morbus alter ut scrofulae, rhachitis, syphilis, arthritis ad morbum generandum concurrunt, tunc therapiam contra morbum protopathicum instituimus. Saepe causae excitantes jam remotae sunt, vel illico removeri haud possunt, tunc formamus indicationem curae radicalem, ut secretio morbos a seri impediatur, et serum accumulatum evacuetur. Accidit nonnunquam etiam in hydrocephalo chronicoo, ut se-

cretio sustentetur per congestionem sanguinis energicam in encephalon, ut adsint symptomata status subinflammatorii, quemadmodum hoc testantur observationes per Gölis et Abercrombie relatae, atque in tali casu sanguinis evacuatio saltem topica hirudinum ope indicata est. Longe frequentius deficiunt symptomata congestionis energicae; ideo etiam sanguinis evacuatio nocet, hydropem auget, alia methodus adhiberi debet; atque inter plures propositas ratione et experientia maxime probatur ea a Gölis laudata; scilicet infantibus teneris praescribimus calomelis unam quartam, dimidiā partem grani unius, usque granum unum, cum digitalis purpureae una octava, una quarta, dimidia parte grani, pro nycthemero, dosi nempe tali, ut quotidie una aut duae alvi evacuationes locum habeant; simul praescribitur unguentum compositum ex unguenti baccarum juniperi drachmis sex, unguenti hydroargyri cinerei drachmis tribus, quae exactissime miscentur et capiti deraso aegri quotidie semel initio drachma semis, dein drachma una lente inungitur; post inunctionem peractam ad activitatem vasorum absorbentium exaltandam, perspirationem cutis promovendam, refrigerium impediendum caput obtegitur vitta e panno laneo vel gossypino confecta; munditiae conservandae causa vitta omni duodecima hora cum alia commutari debet; atque haec inunctionio et vittae portatio continuari debent per tres usque quatuor menses; in plurimis casibus post triginta usque quadraginta dies morbi ominosi symptomata imminuntur, disparent; decremento symptomatum conspicuo locum habente inunctionio perficitur tantum omni altero, dein omni tertio die, atque sub usu remediorum horum paucorum diuresi largiori secuta saepe morbus feliciter sanatur. Subinde tamen symptomata perdurant; tunc commendat Gölis halneum tepidum cum solutione kali vegetabilis, vel natri, vel lapidis caustici, cui aeger quotidie impunitur per quadrantem usque medium horam. Si morbus enrae laudatae per plures menses adhibitae rebellis perdurat, et symptomata debilitatis verae se manifestarent,

tunc remedia stimulantia, ut arnica, camphora, ammonia, moschus, cortex cinchonae cum diureticis, ut digitali purpurea, scilla laudantur ab observatoribus, quae tamen rariissime profuerunt; majorem adhuc utilitatem praestiterunt antagonistica cuti applicata, ut sinapispi, emplastrum cantharidum, unguentum, emplastrum antimoniale, fonticuli, ad utrumque latus foraminis occipitalis appliciti.

Subinde omnibus remediis resistit morbus, tunc commendata fuit paracentesis cranii, quae in nonnullis casibus successu felici instituta fuit; si nempe hydrocephalus fuerit meningeus, suturae ita dilatatae, ut tumor hydropicus visu et tactu cognosci possit, tunc operatio potest successum felicem habere, cautela illa observata, ut evacuatio liquidi accumulati ope acus hand profunde immissae tantum minor fiat, factaque evacuatione compressio moderata capitis instituatur, simul interne calomel et digitalis purpurea exhibeantur. Sed longe frequentius serum accumulatum est in ventriculis cerebri, et etiamsi in capite monstrose tumido ossa cranii ita dilatata sint, ut fluctuatio percipiatur manifesta, tamen paracentesis letalis est, quia per serum ipsa substantia cerebri extenditur ita, ut membranacea redita ipsa ossa cranii contingat; ideo nisi cum probabilitate definire valeamus, hydrocephalum chronicum internum esse meningeum, ab operatione omni abstinemus.

F. W. Oppenheim, über die Punction des chronischen inneren Wasserkopfes (Rusts-Magazin für die ges. Heilk. Bd. XXIV. H. I. S. 34).

H Y D R O R R H A C H I A.

§. 104.

Hydrorrhachia seu hydrorrhachitis est collectio morbosa seri in specu vertebrarum, functiones medullae spinalis et partium diversarum cum ea connexarum

plus minus-ve perturbans. Morbus hic frequenter jam in utero matris evolvitur, congenitus est, atque tunc fere semper vitium congenitum in vertebris observatur, processus spinosi deficiunt, aut saltem ab invicem separati sunt, ideo vocatur *spina bifida*, a P. Frank *hydrorrhachia dehiscens*, ut distinguatur a *hydrorrhachia incolumi*, in qua non obstante collectione morboſa seri columnam vertebralis manet integra.

Hydrorrhachia dehiscens frequentissime tantum ad unam partem columnae vertebralis restricta est, et quidem ad vertebrae lumbales, fissuraque processuum spinosorum subinde extenditur in os sacrum et coccygis ita, ut ab observatoribus describatur *hydrorrhachia lumbalis, sacralis et coccygea*, rarior est *dorsalis et cervicalis*, rarissima *universalis*, ubi nempe processus spinosi omnium vertebrarum fissi sunt. Serum morboſe secretum subinde accumulatur inter meninges — *hydrorrhachia meningea*, subinde in ipsa substantia medullae spinalis ita, ut in medio efformetur canalis communicans cum ventriculis cerebri. Quantitas seri est varia, jam tantum paucarum unciarum, jam plurimi etiam librarum, jam limpidum aquosum, jam subopacum, pure, subinde sanguine mixtum. Per hoc liquidum membranae medullae spinalis extenduntur, et sic inter vertebrae dehidentes protruditur tumor externe visu et tactu cognoscendus, qui pro magnitudine hiatus et pro duratione morbi variat; saepe initio habet magnitudinem pisi, successivo increvit ad magnitudinem nucis avellanae, juglandis usque pugni majoris; figurae est jam globosae, jam oblongae subovalis, subinde basi latiori instructus, subinde, ubi tumor ex specie vertebrarum egreditur, quasi constringitur, dein vero externe increvit ita, ut appareat esse petiolatus vel pedunculatus; color tumoris elasticus fluctuantis est initio rubicundus, subinde livescens a sanguinis circulo impedito, tardius evadit enti concolor; saepe ad pressionem moderatam tumor disparet, ea remota iterum revertitur. Per serum morboſe accumulatum functiones medullae spinalis

vario modo perturbantur; dum morbus in gradu majori congenitus est, infans nec sugere valet, vitaque ejus omnis ita imperfecta est, ut intra paucos dies aut paucas septimanas inter convulsiones extinguitur. Morbo in minori gradu praesente vita conservatur ita, ut exempla plura adducantur a J. Frank individuorum duodecim, viginti, triginta, imo unius quinquaginta annorum spina bifida affectorum. Frequentissime tamen serum medullam spinalem initio comprimendo, dein tardius irritando producit varias turbas functionum in partibus illis, ad quas nervi medullae spinalis proficiscuntur; sic cum collectio seri morbosa frequentissime in parte infima columnae vertebralis locum habet, observantur extremitatum inferiorum debilitates, flacciditas, emaciatio, frigiditas, tremor, difficultas pedibus insistendi et ambulandi: infantes tales semper jacent, aut serpunt, in plurimis casibus incontinentia alvi et urinæ adest, quae enuresis non raro cum retentione urinæ jungitur; morbo inorescente paralysis plena extremitatum inferiorum evolvitur. Dum collectio seri magis extenditur versus columnam vertebralem dorsalem, tunc comparent affectiones morbosæ viscerum abdominalium, digestio molesta, tarda, flatulentiae nimiae, alvus morosa, gastralgia, enteralgia, vomituritio, vomitus; morbo ulro in crescente, per vertebrales cervicales extenso, observantur motus cordis inordinati, palpitatio, syncope, dyspnoea, metus suffocationis, tussis violenta, singultus, deglutitio difficilis, debilitas, tremor, subinde convulsio extremitatum superiorum; corpus totum emaciatur, et ut plurimum aegri inter convulsiones extinguuntur. Ita ex investigatione spinae dorsi et corporis totius in singulo casu individuali hydrorrhachia congenita cognosci potest, cuius cau-
sae adhuc latent; nam subinde quidem a parentibus scrofulis, rhachitide, syphilide vel arthritide affectis generantur proles cum vitio ossium, proinde et vertebrarum, sed saepe parentes morbis nominatis affecti proles generant sanas; alii a morbis illis liberi foetus procreant etiam duras hydrorrhachia affectos.

J. Gilg, Diss. de spina bifida. Viena e. 1754.

Hochstetter, Diss. de spina bifida in virginē viginti anno-
rum. Altdorf. 1723.

J. A. Murray, de spinae bifidae ex mala ossium conformatio-
ne initis. Göttingae. 1779.

Cappel, Diss. de spina bifida. Helv. Acad. 1793.

J. F. Büsser, Diss. de hydrorrhachia. Halae. 1705.

Bauer, Diss. de hydrorrhachide. Erford. 1798.

Fleischmann, de vitiis congenitis circa thoracem et abdo-
men. Erlangae. 1810.

§: 105.

Prognosis morbi est semper infausta, nam vitium con-
genitum pharmacis tolli haud potest, nec tamen omnis hy-
drorrhachia dehiscons letalis est; periculum dependet a
morbi extensione, sede, intensitate, et complicatione; si
est universalis, cum hydrocephalo interno, vel etiamsi
fuerit partialis, sed cerebro propior, cum statu cachectico,
forte cum syphilide congenita, cum habitu scrofuloso vel
rhachitico, atrophicō, statim post nativitatem juncta, tunc
spes sanationis est nulla; dum vero hydrorrhachia est in
gradu minori, lumbalis, in organismo secus sano; ibi vita
protrahitur in longius, et nonnunquam etiam sanitas re-
stituitur.

Ad curam perficiendam commendatur contra tumorem
petiolatum ligatura, per quam tumor quidem tollitur,
sed hucusque post auxilium hoc adhibitum semper mors
sequebatur, quia in tumore tali saepe pars aliqua medul-
lae spinalis continetur. Alii proposuerunt setacei applicati-
onem, ut sic liquidum successive evacuetur, et per inflam-
mationem excitatam sacci concretio producatur, sed nullus
extat casus curae felicis, et per setaceum inductum fa-
cile medullam spinalem laedendo inflammatio periculosa
excitatur. Punctura tumoris acus ope feliciter instituta est
ab Astley Cooper et aliis chirurgis, saepius tamen
etiam haec operatio letalem exitum habuit. Dependet nem-
pe successus operationis a natura tumoris; si is productus

fuerit tantum per collectionem morbosam seri in meningibus, tunc punctura potest prodessere, sed si collectio morbosaa seri locum habuerit in ipsa substantia medullae spinalis ita, ut in tumore majori subinde conspiatur liquidum pellucidum cum filamentis albis opacis, tunc successus felix exspectari haud potest; atque tunc curam tantum palliativam commendamus; ut nempe laesio et compressio tumoris impediatur, fascia idonea obtegi et sustentari debet. Successu saepe magis felici instituimus curam hydrorrhachiae incolumis.

§. 106.

Hydrorrhachia in columnis dicitur collectio seri morbosa in columna vertebrali sine vitio ullo conformatonis, evoluturque talis et in infantibus et adultis, imo subinde etiam in senibus, distinguiturque relate ad durationem alia acuta, alia chronica; in ultraque stadium primum morbi est inflammatorium ita, ut compareant symptomata omnia myelitidis; inter symptomata febris persentit aeger in ipsis specie vortebrrarum dolorem fixum ardenteum ad onhem motum spinae dorsi auctum, cum inquietudine et anxietate nimia, qui dolor pro diversa sede jungitur cum perturbatis functionibus viscerum cavi pectoris, abdominis, extremitatum superiorum aut inferiorum, resolutioneque haud subsecuta ob dispositionem eminentem praesentem contingit secretio morbosaa seri cito; in aliis casibus symptomata inflammationis minus intensa remittunt, silent, iterum revertuntur ita, ut sit species myelitidis chronicæ, atque tunc locum habet secretio seri morbosaa lente; symptomata febris disparent omnia, dolor spinae dorsi cessat, sed remanet debilitas muscularis, in primis debilitas extremitatum inferiorum ita, ut aeger illis insistere haud valeat; subinde convellitur, emaciatur, non raro paresis talis est princeps morbi symptomata; frequenter tamen comparent etiam alia incommoda, digestio difficultis, tarda, molesta, fatus copiosi in ventriculo et tubo intestinali, unde non raro dolores, urinæ et alvi

evacuationes sunt saepe impeditae, in adultis functiones genitalium imperfectae, impotentia; non raro observantur debilitates, pareses, convulsiones extremitatum superiorum, dyspnoea, cordis palpitationes, tusses, singultus, subinde deglutitio difficilis et loqua impedita; e quibus symptomatibus inter se combinatis saepe cum probabilitate magna cognoscimus statum dynamico-organicum abnormem medullae spinalis, quam a collectione seri induci, concludimus ex symptomatibus hydropis, in genere simul praesentibus: aeger nempe habet urinam parciorem, saepe fuscam, saepe dilute flavam, sedimento jam rubro, jam albo instructam; cutis est utplurimum secca, comparetque oedema in dorso, in extremitatibus inferioribus; et in genitalibus.

Aliqui homines dispositionem congenitam habent. In hanc hydrorrhachiam, quae exaltatur per rhachitidem, scrofulas et syphilidem. Causae autem excitantes sunt, quae medullae spinalis inflammationem et sic secretionem in meningibus abnormem inducere valent, ut violentiae mechanicae, refrigerium, suppressio evacuationum habituum, efflorescentiae cutis subito evanidae, secundum observationes recentiores typhus contagiosus.

§. 107.

Prognosis morbi evoluti est dubia, incipiens enim saepe non cognoscitur, ideo negligitur, inveteratus autem cum cachexia conjunctus omnia artis conamina eludit. Saepe quidem aeger vitam per plures annos in lecto transigit, tandem utplurimum inter convulsiones subito extinguitur; morbus incipiens per therapiam rationalem non raro sanatur.

Indicationem curae primam construimus causalem; ideo scrofularum, rhachitidis, vel syphilidis ad morbum sustentandum concurrentium, therapiam haud negligimus, praecipuam tamen rationem habemus status abnormis medullae spinalis, ut nempe secretionem morbosam seri impediamus, et collecti evacuationem procuremus. Si stadium morbi pri-

mum inflammatorium adhuc perdurat, methodus anti-phlogistica indicata est; secundum longitudinem spinae dorsi hirudines vel cucurbitulas cruentas applicamus, interne vero calomelam exhibemus; silente inflammatione, signis hydrorrhachiae jam evolutis, praescribimus interne calomelam cum digitali purpurea; externe secundum longitudinem spinae dorsi iungimus unguentum baccarum juniperi cum unguento hydrargyri cinereo, corpusque totum calore moderato foveamus. Si post usum horum longiori tempore continuatum symptomata hydropis perdurant, tunc diuretica etiam alia, ut scilla et radix caincae, praesente autem debilitate majori pharmaca roborantia et stimulantia commendantur. Majorem virtutem exerunt antagonistica spinae dorsi applicata, epispastica, tartarus emeticus, spon-
ticuli, moxa et ferrum candens.

H Y D R O T H O R A X.

§. 108.

Hydrothorax seu hydrops pectoris est collectio morbosa seri in cavo pectoris, functionem viscerum in primis organorum respirationis et circulationis cavo pectoris inclusorum vario modo turbans ita, ut plurimi hoc hydrope affecti dyspnoea, tussi, pulsu irregulari, non raro cordis palpitatione cum livore labiorum oris et apicis nasi laborent, quae tamen symptomata valde varia et non raro ita dubia sunt, ut nonnisi per investigationem scrupulosam et observationem longiori tempore continuatam error in diagnosis evitari possit. Prout collectio morbo in diversis partibus contingit, ita diversa nomina adipiscitur, sic subinde serum morbose colligitur in textu celluloso inter musculos intercostales et pleuram costalem, dicitur hydrothorax externus vel spurius; longe frequen-

tior est collectio morbosa seri in saccis pleurae, subinde uno, frequenter utroque, hydrothorax legitimus, subinde in medio pectoris, in cavo mediastini anteriore aut posteriore, non raro in pericardio colligitur serum morbose, hydrocardia vel hydropericardia; subinde ipsi pulmones constituant sedem morbi, et quidem vel bronchia hydrothorax bronchialis, vel substantia cellulosa pulmonum — oedema pulmonum. Diversae hae sedes hydropsis in cavo pectoris cultro anatomico in cadavere saepius detectae sunt, nec temen eas in vivo homine semper definire valemus; partium enim pectore contentarum vita ita connexa est inter se, ut per affectionem morbosam unius partis etiam functio alterius laedatur; ideo symptomata diversarum harum hydrothoracis specierum valde communia sunt. Nec alias diversitates per anatomas pathologos adnotatas valemus in vivo determinare, nempe liquidi collecti qualitatem et quantitatem; saepeliquidum est tenue, pellucidum, aquosum, saepeliquidum est opacum, spissum, album flavescens, virescens, subinde materia puriformi vel sanguine mixtum, quantitate jam pancarum tantum unciarum, jam plurium librarum, neque symptomatum intensitas respondet semper quantitati liquidi accumulati; non raro per serum minori quantitate detectum symptomata provocant graviora, partim quod liquidum secretum est magis abnorme, partim quod sensibilitas et irritabilitas aegri est major. Variat natura morbi, prout liquidum jam libere effusum est — hydrothorax independens; vel saccis minoribus, hydatibus vel majoribus inclusum est, hydrothorax saccatus, cysticus, reperiunturque tales cystides jam in superficie pleurae costali vel pulmonali, jam in substantia pulmonum, jam in pericardio. Differentia notabilis inducitur per durationem morbi, quo respectu distinguimus hydrothoracem acutum et chronicum; acutus evolvitur post inflammationem in cavo pectoris per quamcumque causam excitatam, et tunc comparent symptomata hydropsis citissime ita, ut ab observatore attento morbus semper cognosci possit. Diagnosis hydrothoracis chronicus

est difficilior, ejus enim symptomata lente per menses, uno annos evolvuntur, donec morbus ad gradum summum evectus est.

Mercker, Diss. de hydrocardia. Trajecti. 1711.

Vogel, Diss. de hydrope pectoris. Göttinge. 1763.

I. Hill, Diss. de hydrothorace. Edinburgi. 1783.

Boville, sur l'hydropisie de poitrine du péricarde, du médiastine et de la pleure. Bézieres. 1758.

J. Johnston, Diss. de hydrothorace. Edinburgi. 1794.

Knebel, Diss. de hydrothorace. Erfordi. 1795.

Heinecke, Diss. de hydrope pericardii. Erfordi. 1799.

Otto, Diss. de hydrothorace. Francofurti. 1800.

Braun, Diss. de hydrothorace. Edinburgi. 1802.

A. B. Poisson, Diss. de hydrothorace primario. Parisiis. 1804.

Trouset, mémoire sur l'hydrothorax. Montpellier. 1806.

C. Maclean, an enquiry into the nature, causes and cure of hydrothorax. Sudbury. 1810.

§. 109.

Ia hydrothorace chronicā longiori tempore praecedunt symptomata diversa laesae valetudinis, quae jam digestionem, jam chylificationem, jam systematis nervosi functiones turbatas esse indicant, e quibus tamen nulla cum probabilitate praedici potest morbi futuri evolvendi indeoles, donec se non manifestet symptomata essentiale, nempe dyspnoea, respiratio difficilis, anhelosa cum metu suffocationis, quae initio in gradu minori, raro revertitur, non diu durat, sponte disparet; inprimis molestia aegrum sub motu corporis majori, dum celerius incedit, gradus vel montem condescendit, vocem intendit, vel dum animi affectu corripitur, cibum majori quantitate ingerit, potus spirituosos haurit et cum aëris atmosphaericus humidus est; secus dum aeger in aëre puro et sicco versatur, animo et corpore tranquillus, dyspnoea non vexatur. Dyspnoea haec etiamsi mitior, sed saepius recurrens suspicionem morbi excitat eo majorem, si habitus externus aegri mutatur, si color faciei antea laetus evadit

pallidus, oculi reddantur languidi, labia oris et apex nasi pallescunt, vel livescunt; morbo increcente increscit etiam dyspnoea, frequentius reddit, et diutius durat. Saepe cum dyspnoea persentit aeger dolores in pectore haud constantes, sed varios pro diversitate sedis ipsius hydropis; sic in hydrothorace spurio seu externo persentitur dolor in alterutro latere pectoris tensivus, infra costas, et limitatur ad regionem affectam; in hydrothorace legitimo accusatur frequentissime dolor in regione dorsali et dorso-lumbali, quia sub initio morbi aquae libere stagnantes, in primis posteriore declivem partem diaphragmatis premunt; morbo increcente aquarum quantitate aucta accusatur dolor etiam in regione costali laterali, ubi diaphragma costis adhaeret. In hydrope mediastini anteriori vel posteriori dolor se manifestat in medio pectoris pressorius aut statim infra sternum, aut profundius in pectore. In hydrocardia conqueritur aeger de dolore prementi in regione sterno-costali sinistra. Morbo increcente dyspnoea cum dolore, subinde sine illo augetur, et decubitus aegri impedit. Sunt quidem aegri, sensibilitate minori praediti, qui sero etiam majori quantitate in cavo pectoris collecto in situ horizontali jacere valent; plurimi tamen hydrothorace affecti in situ horizontali brevi tantum tempore manere possunt; dyspnoea et tussis molesta situm mutare cogit; saepe aeger tantum uni lateri incumbe-re valet, nempe in hydrothorace unilaterali tantum parti affectae. Non raro aegri pacate obdormiunt; sed e somno subito expergescantur cum anxietate, inquietudine et metu suffocationis ita, ut e lecto exsiliant, portas fenestrasque aperiendo auram liberam quaerant. Neque tamen haec expergesfactio subitanea et anxia signum pathognomicum hydrothoracis constituit, nec in hydrothorace simplici observatur, sed in tali, qui cum vitio organico cordis connexus est, quae vitia sola dyspnoeam similem gravem noctu subito molestam sine omni hydrope excitant. Ad symptomata hucusque enumerata citius vel tardius accedit tussis, initio rarior et sicca, dein frequentior, molesta et saepe sputis juncta jam serosis, jam mucosis, jam puriformibus, subin-

de etiam sanguine mixtis, quae tussis in primis symptomata characteristicum est in hydrope bronchiali, vel pulmonali; in quo morbo aeger experitur dyspnœam gravissimam cum inspiratione brevi; decumbere quidem valet in onne latus, sed tussi affligitur, qua saepe sputa ejicit copiosissima serosa, tenuia, subinde spissiora cum levamine.

Symptomata enumerata in hydrope pectoris frequentissime observantur, quin ex eorum praesentia semper concludere possemus ad praesentiam hydrothoracis; nam eadem symptomata etiam per alios morbos in cavo pectoris reconditos, ut vitia organica cordis, inflammationem chronicam partis ejuscunque pectoris, vomicam, et tubercula in pulmonibus producuntur; ideo ut diagnosis hydrothoracis probabilis reddatur, alia adhuc symptomata colligi debent, quae nempto hydropem in genere comitantur; ut urina minori quantitate secreta, eaque fusca, sedimento saepe lateritio, roseo, ochraceo, subinde albo, puriformi instructa; cutis est ut plurimum sicca, atque pallida in primis in facie; labia et apex nasi sunt saepe livescientia, quod indicat impedimentum circulationis, quia per serum collectum pulmones comprimuntur; color quidem cutis cachecticus etiam sine hydrothorace per sola vitia organica cordis, aortae, et pulmonum inducitur, et subinde etiam in hydrothorace cutis turgor, ruborque remanet. Morbo incrementante accedit hydrops cutaneus, et quidem saepe incipiunt oedemata pedum, quae in morbo acuto citissime, in chronicolente a malleolis, a dorso pedis per crura, femora, abdomen, dorsum extenduntur, saepe et genitalia, labia pudendorum, apud viros scrotum et penis, in magnam molem intumescent, ut evacuatio etiam urinae molesta sit; subinde incipit oedema in facie, non raro in extremitatibus superioribus, in dorso manus; saepe et cutis truncum obtegens oedematose fumet; nec raro accedit, ut oedemate externo comparrente respiratio faciliteretur, imminuto autem hydrope cutis dyspnœa augeatur, quod diagnosim multum illustrat. Morbo magis incrementante quantitas seri in cavo pectoris augetur ita, ut ipsae costae ab invicem magis removeantur, et sic cavum thoracis amplius

reddatur, diaphragma in cavum pectoris deprimatur, prop-
 terea functiones ventriculi et tubi intestinalis perturbentur,
 appetitus cibi imminuat, digestio fiat molesta, alvus obsti-
 pa; ob compressionem pulmonum dyspnoea semper magis
 increscit ita, ut aeger jam amplius in nullo situ jacere pos-
 sit, sed tantum sedens capite pectoreque antrorum inclina-
 to et sustentato diem et noctem transigat; ob compressio-
 nem vasorum haematophororum circulatio etiam perturba-
 tur, ideo pulsus arteriarum est saepe irregularis, inaequa-
 lis, intermittens, saepe diversus in uno aliquo brachio,
 extremitates ut plurimum frigent, et ob compressionem ner-
 vorum brachialium jam dolores in brachio, jam status para-
 lyticus provocantur, somnus initio ac rum fugit, morbo au-
 tem in magnum gradum erecto soporosus redditur. Postquam
 morbus ad gradum magnum erectus est, tunc facile cognoscitur,
 sed tunc difficulter definiri potest species hydropsis
 relate ad sedem, eo minus, quod in morbo proiecto col-
 lectio seri in pluribus locis detegitur; tantum sub exordio
 hydropsis restrictus est ad unam partem pectoris, et tunc
 diagnosis ejus cum probabilitate institui potest; ita in hy-
 drocardia praeter symptomata communia hydrothoracis expe-
 ritur aeger in regione sterno-costali sinistra majorem dolo-
 rem pressorum, anxietatem, inquietudinem nimiam, saepius
 revertentem cum motu cordis inordinato, palpitatione, pul-
 su valde irregulari, estque regio sterno-costalis in hoc mor-
 bo semper magis connexa. Si criteria huc usque adducta
 ad dissipandum dubium omne in diagnosi haud sufficiunt,
 tunc etiam alia criteria in auxilium vocamus. Animadver-
 tentia jam Hippocrate dum aeger se ex uno latere in aliud
 vertit, subinde motum seu fluctuationem liquidi in pectore au-
 dit, et si aeger aliqua violentia adhibita commovetur,
 tunc etiam per alium percipitur motus liquidi; quod tamen
 tantum in hydrothorace legitimo, libero, sero nedum per
 totum cavum pectoris extenso locum habet, recentioribus
 temporibus post Auenbrugger percussio pectoris a Cor-
 visart et a Piorry magis exculta pro diagnosi adhibetur;
 in parte nempe pectoris sero repleta sonus producitur

tantum obtusus, et per stethoscopum Laënnecii non percipitur sonus respirationis. Subinde etiam criterium a Bichat propositum adhibemus; aegro horizontaliter in dorso decumbenti ad margines costarum spuriarum in regione epigastriæ ac hypochondriacis pressio instituitur versus diaphragma; praesente hydrothorace sub hac pressione experitur aeger dyspnoecam nimiam.

§. 110.

Diagnosi stabilita, ut naturam individualem hydrothoraciae cognoscere valeamus, etiam causas ejus exquirere debemus. Inducitur hydrothorax per easdem causas, quae hydropem quaecunque generare valent, dum hae causæ actionem suam noxiā in primis in cavum pectoris exerunt, et dum dispositio peculiaris in hanc speciem hydropsis adest, quae non raro congenita, haereditate acquisita est; in genere proclivior est in hunc morbum aetas provecia et sexus virilis, rarius observatur in aetate tenera et sexu sequiori; quorum pectus per rhachitidem, lordosim vel gibbum compressum est, qui inflammationes partium cavo pectoris contentarum experti sunt, qui organa respirationis nimis adstringunt per eantum, vociferationem vel instrumenta flatilia, qui potibus spirituosis abutuntur, animi affectibus vehementibus exagitantur, aërem vaporibus acribus, irritantibus repletum hauriunt, qui vitiis organicis cordis aut pulmonum aut vasorum majorum laborant, quibus steatoma in cavo pectoris formatum est, hi citius in hydrothoracem incident.

Praesente dispositione excitant morbum causæ variae: violentiae mechanicas pectori illatae, potus spirituosi excessive sumti, venena aria deglutita, ut subinde arsenicum, mercurius sublimatus corrosivus, frequenter refrigerium per potum gelidum vel aërem frigidum admissum, subinde evacuationes habituales suppressae, vel ulcus habituale exsiccatum, subinde rheumatismus, arthritis, efflorescentiae cutis evanidae, non raro morbus alter, ut inflammations pectoris tam acutæ, quam chronicæ, scarlatina, febris intermittens diu durans, neglecta, atque pro diver-

sa constitutione individuali aegri, pro diversa indole causarum praedisponentium et excitantium character dynamicus hydrothoracis est varius; in omni quidem hydrothorace collectio morbosa seri locum habet, propterea quod proportio inter secretionem et absorptionem seri morbosa evasit; jam status hic morbosus saepe sustentatur per characterem energeticum inflammatorum vasorum capillarium, et tunc vocatur **hydrothorax inflammatorius**; attentio tamen semper magna necessaria est, ne error in diagnosi committatur; pulsus durus in hac specie hydropis criterium est fallax, quod monentibus **Quarin** et **P. Frank** non raro seduxit medicos ad venam secandam, symptomatibus morbi dein celeriter incrementalibus; frequentius symptomata hydrothoracis et pulsus durus dependent tantum ab irritabilitate cordis morbose exaltata, quae cum debilitate juncta est, et non raro transit in statum torpidum semiparalyticum; talis status dynamicus inducitur per causas debilitantes majori potentia in organismum agentes, per evacuaciones nimias, animi affectus tristes diu durantes.

§. 111.

Pro diversitate momentorum nosographicorum et nosogeneticorum huc usque enumeratorum diversa est prognosis hydrothoracis; in genere constituit morbum periculosum, non raro omnes conatus artis eludentem; acutissimus subinde post inflammationem gravem pleurae vel pericardii, vel post scarlatinam evolutus citissime increscit, et aegrum intra paucos dies vel per suffocationem vel per apoplexiā enecat. Saepius adhuc accidit, ut morbus per menses, imo annos aegrum affligat symptomatibus per vices mitigatis, subinde ex integro silentibus, sed iterum revertentibus, donec ad summum gradum evectus morte terminatur. Neque tamen omnis hydrothorax letalis est, subinde causis excitantibus remotis per autocratiam naturae solam comparentibus sudore largo, sputis copiosis, in primis urina aucta, et evaevationibus suppressis restitutis symptomata morbi dissipantur, et sanitas restituitur; qui exitus felix medicina

rationali in auxilium vocata adhuc frequentius obtinetur. Ut prognosim probabilem pronunciare possimus, momentorum nosographicorum, nosogeneticorum et complicationis morbi rationem habere debemus. Si fuerit hydrothorax externus vel tantum pulmonalis mitior simplex, per refrigerium admissum excitatus, cum charactere mitiori inflammatorio, prognosim habet laetiorem; augentur pericula in hydrope saccorum pleurae, in primis autem in hydropericardia, licet etiam tales hydropes dum simplices, independentes, non diu durantes characterem dynamicum energicum habent, non raro feliciter sanantur; dum vero hydrothorax jam diutinus est cum vitiis organicis cordis, pulmonum vel vasorum majorum connexus, cum charactere asthenico, in corpore enervato cachectico evolutus, tunc spes sanationis parva est. Subinde tamen et in casibus desperatis per therapiam rationalem sanitas relativa iterum restituta est; ideo prognosi in singulo casu caute pronunciata, therapiam rationalem adhibere non intermittimus.

§. 412.

Indicationem curae primam desumimus a causis excitantibus, quas forte adhuc praesentes conamus removere; sic si hydrothorax inductus fuit per inflammationem cuiuscunque partis cavi pectoris adhuc perdurantem, tunc non obstante collectione seri morbosa methodus antiphlogistica est indicata, subinde ipsa venaesectio, frequentius tamen topica sanguinis evacuatio hirudinum aut cœurbitularum cruentarum ope suscipienda; nec alia anti-phlogistica contra hydropem inflammatorium laudata, ut nitrum, cremen tar-tari, tartarum emeticum, calomelam et digitalem purpuream negligimus. Si hydropem pectoris excitavit febris intermit-tens, diu durans, tunc cortex cinchonae cum cautelis in therapia febris intermittentis expositis pharmacum efficacissimum est; si post rheumatismum, arthritidem, vel morbos euti evanidos evolutus est hydrothorax, tunc irritatio cutis per calorem, frictionem, balneum tepidum, si-napismos, emplastrum cantharidum, unguentum vel empla-

strum antimoniale, per fonticulos indicata est; si forte evacuationes habituales ut sudor partialis, diarrhoea vel haemorrhagia occasionem praebuerunt morbo generando, tunc restituendis his profluviis cura impendi debet, subinde evacuations potius nimiae morbum sustentantes restringendae sunt.

Saepe causae excitantes hydrothoracis jam remotae sunt, vel praesentes removeri haud possunt, ut vitia organica in corde, vasis majoribus, pulmonibus, steatoma in cavo pectoris; tunc indicatio eurae altera est, evacuatio liquidi in cavo pectoris morbose accumulati, et subinde remedia indicata cum remedii primae indicationis jungi possunt. Sic dum hyorothorax est externus, spurius, vel ubi oedema pulmonum adest in gradu mitiori, morbus simplex per refrigerium inductus, characterem mitiorem rheumaticum habet, tunc subinde diaphoretica, ut infusum florum sambuci, roob sambuci, roob ebuli, spiritus Mindereri, refracta dosis tartari emetici utilia sunt; saepe tamen non sufficiunt. Ita nec emetica licet commendata, nec purgantia remedia in hydrothorace scopo desiderato satisfaciunt, nisi simul adfuerit status morbosus organorum digestionis et chylificationis; saburram generans, et statum morbosum viscerum cavi pectoris sustentans; tunc et emetica et purgantia sunt indicata, sed in defectu talis complicationis in pluribus casibus scopo evacuandi serum maxime indicata sunt diuretica. Saepe mitiora ut tremor tartari, nitrum, radix ononidis spinosae jam scopo satisfaciunt; saepe fortiora necessaria sunt, ut sal tartari, baccae juniperi, roob juniperi, scilla marina, colchicum autumnale, lactuca sativa seu sylvestris et virosa, digitalis purpurea, pirola umbellata, equisetum, ballota lanata, cainca; neque tamen definire valemus semper a priori, in quibus casibus unum remedium alteri praeferendum sit, nonnisi per observationem in effectus remedii continuatam cognoscimus pharmaceutum casui individuali maxime adaequatum. Saepe unum diureticum solum votis satisfacit, saepe plura inter se combinata efficaciam majorem habent, ita scillam jungimis saepe nitro, digitalem purpuream saepe cum extracto lactucae; subinde jun-

guntur etiam alia pharmaca, sic saepe nitrum cum sulphure aurato antimonii insigniter prodest; subinde docente P. Frank morbus sanatus est per electuarium compositum e roob sambuci, eboli, juniperi ana drachmis sex, pulvulis scillae compositi, radicis bryoniae, extracti elaterii ana scrupulo uno usque drachmam semis, theriacæ Andromachi drachma una, syrapi rosarum solutivi q. s. ut fiat electuarium, unde aeger sumat ter in die ad magnitudinem castaneæ cum decocti radicum aperientium unciiis tribus. Aliis profuit mixtura e gummi ammoniaci drachmis duabus in liquore terræ foliatae tartari solutis cum aquæ petroselini et juniperi ana unciiis tribus et semis, pulpae scillas recentis scrupulo uno, naphthæ vitrioli drachma semis, syrapi cinnamomi uncia una, omni bihorio uno vel altero cochleari sumatur.

Dum hydrothorax characterem hypererethisticum habet, tunc non raro utiliter adhibentur ipecacuanha dosi refracta, pharmaca narcotica, ut hyoscyamus, cicuta, opium, jam sola iam cum diureticis juncta; in specie opini saepe cum ipecacuanha, saepe cum scilla, vel digitali purpurea prodest; hic in morbo ad magnum gradum erecto cum vitio organico cordis conjuncto effectum optimum praestitit digitalis purpurea in connubio cum aqua laurocerasi; non raro digitalis cum calomela est maxime indicata. Dum autem character dynamicus morbi est magis torpidus, tunc diureticis jungimus stimulantia, ut radicem polygalæ senegas, radicem et flores arnicæ, subinde camphoram, liquores aethereos, et praeparata ammoniae. Saepe externa etiam remedia in usum vocamus; sinapis, vesicantia, unguentum, emplastrum antimoniale pectori et extremitatibus applicamus.

Subinde per remedia pharmaceutica maxime indicata serum evacuare haud valemus, et tunc commendatur paracentesis pectoris, quae in casibus non paucis, referentibus Richter et Mursinna successu optimo instituta fuit, non raro tamen interitum aegri acceleravit; ideo operatio haec rarius instituitur. Dum hydrothorax saccatus est ita,

ut serum pluribus saccis inclusum sit, vel dum hydrops in bronchiis vel substantia pulmonum sedem suam habet, vel dum hydrothorax generatur et sustentatur per vitia organica cordis, vasorum, aut pulmonum, tunc operatio inutilis, non raro inflammacionem provocando, aëris ingressum in cavaum pectoris admittendo graviora inducit symptomata, et vitia aegri abbreviat; ideo in casibus iis contraindicata est. Sed dum hydrothorax est legitimus, simplex, independens, sine vitiis organicis, tunc remedii diureticis incassum adhibitis paracentesis per rationem et experientiam indicata est, instituiturque inter costam tertiam et quartam spuriam in medio inter os sterni et spinam dorsi, integumentis communibus et musculis praevie ope lanceolae separatis, ut fluctuatio per pleuram digitis percipi possit; ne error committatur a P. Frank adnotatus, ubi paracentesi instituta per canulam nec gutta seri effluxit, ne in cadavere ullum repertum fuit.

Paracentesis etiam contra hydrocardiam a Sénae commendata fuit; sed haec species hydropis est rarissime simplex, frequentissime cum vitiis organicis cordis et aliis speciebus hydrothoracis complicata; ideo nullum adhuc easum habemus operationis hujus feliciter institutae. Dum hydrops cavi mediastini antici locum habet, tunc operatio jam pridem proposita, trepanatio nempe seu perforatio ossis sterni, indicata est; quae tamen raro sufficit, cum etiam haec species hydropis rarissime solitaria occurrit.

Peracta evacuatione liquidi indicatio restat, ut recidiva morbi impediatur, quem in finem praeter evitationem sollicitam potentiarum omnium nocentium, characteris dynamic rationem praecipuum habemus; atque subinde methodum anti-phlogisticam nitorem, saepius methodum robaram longiori tempore continuandam esse censemus. In nonnullis casibus ad impediendam secretionem morbosam in cavo pectoris plurimum praestat irritatio cutis continua per corticem mezerei vel per fonticulos in brachio uno vel utroque excitatos.

A S C I T E S.

§. 113.

Ascites seu hydrops abdominalis est inter hydrops cava corporia interna occupantes frequentissimus; non raro tantum externas partes cavum abdominalis cingentes occupat, scilicet in tela cellulosa vel membrana cutis adiposa efformatur hydrops abdominalis subcutaneus; subinde contingit collectio morbosa in vagina aponeurotica musculorum rectorum abdominalis, vocatur hydrops abdominalis vaginalis. Non raro efformatur hydrops in tela cellulosa, quae inter peritonaeum et musculos abdominales jacet — hydrops abdominalis peritonealis; longe frequentius contingit secretio et collectio morbosa liquidi in ipso cavo abdominalis, et quidem ita, ut in cavo peritonaei ampio serum libere diffusum sit, tunc dicitur ascites legitimus, diffusus, independens; vel vero serum inclusum est jam vesiculis minoribus, hydatidibus, jam saccis majoribus, hydrops abdominalis saccatus vel cysticus; qui sacci adhaerent jam peritonaeo, jam aliis visceribus cavo abdominalis contentis, in quibus ipsis non raro evolvitur hydrops; sicque adnotamus hydropem omentalem, mesentericum, gastricum, entericum, hepaticum, lienalem et uterinum.

- I. Sidren, Diss. de ascitis simplicis casu. Upsaliae. 1772.
- I. Albers, Diss. de ascite. Jenae. 1795.
- Titius. Diss. de hydrope ascite. Vittebergae. 1800.
- Fitzpatrick, Diss. de ascite abdominali. Edinburgi. 1801.
- Hartwig, Diss. de hydrope ascite. Marburg. 1805.
- I. M. Hanou, Diss. de ascite seu de hydrope abdominali. Parisiis. 1806.

§. 114.

Species diversae, hydropis abdominalis in cadaveribus saepius demonstratae, in vivo subinde difficilis cognoscun-

tur, nisi attentio directa fuerit in successivam evolutionem omnium symptomatum.

Dum ascites legitimus diffusus est, tunc collectio aquarum contingit in ipso cavo peritonaei, atque subinde morbum constituit acutum, imo acutissimum; sine prodromis ullis praegressis evolvuntur morbi symptomata omnia citissime, quemadmodum hoc observamus post scarlatinam, et in peritonite puerperali. Longo frequentius contingit evolutio morbi lenta; saepe aeger conqueritur de sensu malae validinis, de dolore abdominis vago, saepius recurrente et iterum disparente; de appetitu cibi prostrato, gastralgia, enteralgia, flatulentis, alvo jam obstipa, jam diarrhoeica; quae symptomata non raro prodroma sunt alterius morbi, ut haemorrhoidum, arthritidis, hypochondriasis; non raro potentissimis nocentibus evanidis disparent, saepe vero terminantur in ascitem; initio seri collectio est minor, ideo nec tumor abdominis conspicans, serum pondere suo decidit in partem inferiorem, ideo diversam pro diverso situ abdominis aegri; in situ erecto tumet regio pubis et aeger a pressione seri persen- sit in regione pubis ac lumborum dolorem obtusum, tensionem, pressionem; aucta quantitate seri abdomen magis extenditur, non raro etiam umbilicus protruditur. Quantitas liquidi variat a libris paucis usque ad libras centum et ultra, estque diversae qualitatis, jam serosum pellucidum, praeter aquam albumen, subinde floccos, vel membranulas continens, jam coloris flavescentis, virescentis, non raro materia puriformi vel sanguine inguinatum. Abdomen per serum extensum constituit tumorem magnum, cuti concolorum, frigidum, molle, elasticum, indolentem; dum vola manus unius imponitur lateri abdominis, et in parte opposita percutitur digitis alterius manus, tunc sentitur fluctatio, seu motus seri undulatorius. Praeter tumorem fluctuantem observantur etiam alia symptomata; viscera nempe abdominalia a sero accumulato compressa turbantur in exercitio functionum suarum, appetitus cibi est prostratus, vel etiam si aeger appetat, et cibum ingerat, cito saturatur; digestio est lenta et molesta, alvus ut plurimum obstipa; ideo evolvanter in

tubo intestinali status copiosi cum doloribus et inquietudine; subinde non tantum pneumatosis enterica, sed etiam abdominalis jungitur asciti ita, ut in parte inferiori cavi peritonei collectum sit serum, in parte autem superiori gas; functiones organorum uropoëticorum sunt semper plus minus laesae; apud plurimos urina est parca, spissior, fusca, sedimento saepe roseo rubro, saepe lateritio, raro albo puriformi instructa; subinde etiam functio organorum cholo-poëticorum abnormis est, ideo hydropi jungitur icterus; ob digestionem et chylificationem imperfectam etiam sanguificatione et nutritio corporis redditur imperfecta, ideo color cutis redditur pallidus, et dum abdomen intumescit reliquæ partes corporis emaciantur, quod inprimis in facie et extremitatibus superioribus observamus; cutis est sicca, et ob temperaturam animalem imminutam frigida, inprimis in extremitatibus. Sub morbi evolutione ulteriori accedunt oedema; subinde incipit morbus cum hydrops cutaneo ita, ut primo compareat oedema in pedibus, successice dein extendatur tumor per femora, crura, et inde in cavum abdominis; saepe tamen incipit morbus in cavo abdominis, et inde extenditur in genitalia, femora, subinde in reliquam cutim; morbo increscente non raro dorsum manus, antibrachium et facies in primis manu oedematose tument. Dum cavum abdominis per serum nimis extenditur, diaphragma in cavum pectoris alte sublevatum est; inde dyspnoea, tussis molesta, et decubitus aegri in primis horizontalis impeditus oriuntur. In morbo acuto statim ad exordium catervant symptomatum auget febris, quae in morbo chronicò tantum sub fine ejus fatali evolvitur; sub tali febri experitur aeger siccitatem oris magnam et silitim molestam; secus plurimi ascitici parum vexantur siti, sed omnes ob sanguificationem imperfectam accusant debilitatem musculariem magnam; ideo motus corporis difficulter persiciunt, quietem et otium amant.

Ex symptomatibus enumeratis jam cito jam lente evolutis, per reflexionem inter se combinatis, possumus in plurimis casibus ascitem cognoscere; subinde tamen

est diagnosis dubia, dum hydrothorax nimis increscit per serum accumulatum, diaphragma in cavum abdominis ita deprimitur, ut tumor adsit abdominis fluctuans; nec valeamus errorem evitare, nisi cognita fuerit evolutio successiva symptomatum, quae alia est in hydrothorace, alia in ascite. Ita subinde in ischuria urocystica per urinam retentam et accumulatam vesica urinaria in tantam molem extenditur, ut totum abdomen usque ad regionem epigastricam repletum sit et fluctuet; per attentionem et evolutionem successivam morbi, et per applicationem catheteris dubium omne diagnosis solvitur. Facillime hydrops confunditur cum graviditate; non raro puellae et mulieres extra matrimonium gravidae redditae asserunt, tumorem abdominis a hydropem inductum fuisse; et subinde mulieres tempore quo catamenia cessare solent, antea steriles in hydropem abdominis incident, et quia anxie foetum desiderant, se gravidas esse putant. In utroque casu error diagnosis evitari potest per mutationes successivas, quae inducuntur per graviditatem; prout nempe evolutio foetus successive locum habet, ita etiam tumor uteri et ipsius abdominis successive augetur omni septimana, quae evolutio periodica in tumore hydropico haud animadvertisit, praeterea sub graviditate mammae evadunt turgidiores, subinde jam lac secernunt, et portio vaginalis uteri cum incremento graviditatis successive brevior et tenuior redditur. Subinde hydrops ascites cum graviditate junctus est, atque tunc diagnosis redditur clarior, dum motus foetus observatur, vel hoc obscuro existente tantum partu subsecuto.

§. 115.

Ascitis saccati diagnosis saepe dubia est, in primis dum morbus jam in gradum majorem evectus est; tunc enim tumor cysticus per liquidum morbose secretum adeo extenditur, ut totum cavum abdominis oculpet, et tunc ab ascite legitimo vix discerni potest; tantum dum occasionem habemus aegrum statim ab exordio morbi observandi, ex com-

binatione omnium symptomatum successive evolutorum possumus cum probabilitate diagnosim construere. Ita hydrops saccatus peritonaei incipit ut plurimum cum dolore jam mitteri jam intensori, ad partem unam peritonaei, frequenter ad regionem umbilicalem limitato, symptomatibus simul febrilibus observatis, quae una cum dolore successive disperant; remanet tumor initio minor, successive increscit, ad attactum fluctuat, et in quaecunque partem aeger decubat situm suum non mutat; serum non decidit in partem magis declivem; functiones viscerum abdominalium vix laeduntur, ideo etiam habitus aegri saepe dilatatio laudabilis, perduratque talis ascites peritonaealis per annos decem, viginti usque quadraginta; dum in molem magnam increscit, quod subinde brevi tempore contingit; tunc refert formam ascitis legitimi, et per compressionem mechanicam et per secretionem morbosam topicam laeduntur functiones non tantum organorum cavo abdominis inclusorum, sed etiam organorum respirationis, et reproductionis totius, ideo tunc status cachecticus evolvitur.

Eadem ratione evolvuntur hydropses sacci viscerales, ad quorum praesentiam concludimus ex sede tumoris, cum functione simul visceris unius in primis laesa. Inter hydropses partiales abdominis post peritonaealem frequentissimus est hydrops uteri seu hydroinatra, qui subinde locum habet sub ipsa graviditate, et tunc ad ejus praesentiam cum probabilitate concludimus, quod tumor uteri est multo major, quam per graviditatem consuetam produci solet, quod sub ipsa graviditate per vaginam effunditur liquidum serosum, majori etiam quantitate, quin propterea phaenomena graviditatis mutantur; nam in tali casu frequentissime contingit collectio seri morbosae in superficie externa ovi humani, saepe intra chorion et membranam deciduam Hunteri, rarius inter chorion et membranam amnios; in casu priori serum evacuatur saepe sine omninoxa, in casu posteriori dum per serum nimis accumulatum uterus multum extensus ad contractiones sollicitatur, tunc facile abortus subsequitur. Sed saepius extra statum gravi-

ditatis, hydrops uteri locum habet, et quidem subinde in ipsa substantia uteri morbose extensa spongiae instar serum colligitur, dicitur hydrometra cellulosa vel oedema uteri; frequentius occurrit accumulatio seri morbosa in cavo uteri, et quidem subinde serum libere fluctuat, hydrometra independens, dum os uteri forte concretum vel occlusum est per partem placentae in utero relictam, sanguinem coagulatum, excrescentias morbosas, polypum, steatoma, scirrum; saepius serum inclusum est saccis jam minoribus, hydatidibus, jam majoribus ita, ut subinde mola hydatigenosa ex utero excludatur. Cognoscimusque talem hydrometram, quod praegressis diversis affectionibus morbosis uteri, ut fluxu catameniali irregulari, metrorrhoea, blennorrhoea, hysteralgia, comparet in regione pubis tumor frigidus, fluctuans, pyriformis, qui successively extenditur ita, ut usque ad umbilicum, imo subinde usque ad regionem epigastricam ascendat, et cavum totum abdominis expletat; dum aegrota in situ erecto est, percipit uterum ponderosum, in vaginam prementem; exploratione interna simul et externa instituta distinguitur fluctuatio in ipso utero; nulla autem signa graviditatis vel vesicae urinariae forte morbose extensae deteguntur. Non raro topicus morbus cum habitu corporis reliqui bono diutius adest, saepe tamen cito, et in omni casu serius accedit status cachecticus hydropem manifestans.

Subinde sedes morbi non in utero ipso, sed in partibus ei adnexis, in ligamentis rotundis, latis, subinde in tubis Fallopii, frequentius in ovarii, rarissime in utroque, frequentissime in sinistro est; atque in hoc casu ultimo in regione iliaco-inguinali sinistra enascitur tumor sphaericus, initio parvus, ad magnitudinem ovi gallinacei, cum dolore jam obtuso jam intensiore, qui saepe extenditur per femur, lumbos et partes vicinas abdominis; saepe alternat cum sensu stuporis; tumor fluctuans et frigidus successive increscit, et tunc partim ob compressionem mechanicam, partim ob spasmos dynanice excitatos functiones viscerum abdominalium perturbantur vario modo; evacuationes alvi

et urinae redduntur molestae, affectiones hystericae afflignant; functio tamen uteri non impeditur, fluxus catamenialis continuat, non raro aegrota etiam concipit, tempore graviditatis valetudine meliori gaudet, et feliciter parit; morbus lente per multos annos increscit, donec tandem in molem extenditur nimiam ita, ut adnotata sint exempla hydropis ovarii centum libras aquae continentis, quo in casu iterum ab ascite diffuso distingui haud potest.

R. A. Vogel, Comment. de hydrope peritonaei saccato, memoriabili casu confirmato. Göttingae. 1761.

C. Sprengel, Diss. de hydrope uteri, et de hydatidibus in utero visis, aut ab eo exclusis. Halae. 1705.

§. 116.

Ut naturam individualem hydropis abdominalis cognoscere valeamus, praeter symptomata sollicite collecta conamur in singulo casu individuali etiam causas ejus exquirere. Non raro dispositio peculiaris adest congenita; nam etiam in foetu, in utero matris subinde evolvitur ascites, partum foetus impossibilem reddens, nisi paracentesis instituatur; subinde dispositio haec se manifestat actate tenera, frequentius tamen aetate proiecta; hydropi saccato peritonaeali frequentius obnoxiae sunt mulieres, quam viri. Causae excitantes adnotatae sunt ab observatoribus diversae; ut violentiae externae abdomini illatae, refrigerium per potum gelidum, vel per aërem admissum, potus spirituosi, venena deglutita, pharmaca solventia, emetica, purgantia incaute et excessive adhibita, evacuationum habitualium, ut fluxus catamenialis, sudoris habitualis suppressio, ulcera habitualia exsiccata, rheumatismus, arthritis, efflorescentiae cutis evanidae, subinde infarctus viscerum abdominalium, hepatis, lienis, glandularum mesaraicarum, utri, subinde scirrhous, cancer, ulcera in cavo abdominis; subinde morbi alii ut febres intermitentes, inflammations topicae, in primis peritonitis, exanthemata acuta, in primis scarlatina. Pro diversa indole causarum excitantium, et pro diversa constitutione individuali

aegri est nscites relate ad characterem dynamicum subinde inflammatorius energicus, saepe asthenicus, jam erethisticus, jam torpidus; talis evadit dum nimis diu durat, dum per causas valde debilitantes, ut evacuationes nimias, venena narcotica, vel per cachexias sub stadio earum ultimo colliquativo inducitur.

§. 117.

Pro diversitate momentorum nosographicorum et nosogeneticorum diversa est prognosis hydropi abdominis. Dum hydrops abdominis est tantum externus cutaneus, vel etiam internus, ascites independens, liber, simplex, sine vitio organico cum charactere mitiori inflammatorio, tunc prognosis est laeta; non raro causis excitantibus remotis, absorptionem liquidi morbose accumulati, et evacuationem eorum, partim per sudores, partim per urinam sola autoeratia naturae perficit. Dum ascites saccatus est, tunc sanitatem quidem saepe diutissime parum laedit ita, ut aegri habitu laudabili instructi cum hydrope tali annos saepe multos, viginti usque triginta transigant; sed cura morbi est semper difficilis, cum virtus pharmacorum vix extendatur in saccum morbosum. Dum hydrops cum debilitate magna jungitur, aeger jam per diurnitatem morbi aut per alias causas enervatus, exhaustus est, dum vitia organica adsunt, ut scirri, ulcera interna arti forte rebellia, tunc nec per autoeratiam naturae, nec per artem morbus tollitur, sed morbo semper magis crescente accedunt symptomata febris hecticae; aeger torquetur siti nimia diu noctuque; non raro comparet in cuti erysipelas valde dolorificum, quod subinde exulceratur; serum e cuti effluit, et in aegro spem restituendae sanitatis exaltat, quam spem etiam sub gravissimis morbi symptomatibus retinet; subinde inflammatio erysipelacea, etiam interne in cavo abdominis ac pectoris evolvitur per dolores atroces se manifestans; in cuti in primis extremitatum comparent maculae lividae, ecchymomata, petechiae; tandem accedit status soporosus, subinde cum delirio alternans, et sic aeger pac-

fus extinguitur. Saepe tamen per therapiam rationalem hydrops abdominalis feliciter sanari potest; et ubi cura radicalis hue usque impossibilis est, ibi saltem vita aegri diutius conservari, et symptomata molesta mitigari possunt.

§. 118.

Therapiam hydropis abdominis inchoamus conatu causas excitantes forte adhuc praesentes removendi; hac indicatione expleta therapiam ulteriorem dirigimus secundum characterem dynamico organicum abnormem hydrophem sustentantem, qui non raro energeticus inflammatorius est, in primis in ascite acuto, post inflammationem peritonaei evoluto, atque tunc contra ipsum hydrophem methodus anti-phlogistica, et quidem strictior necessaria est; quae methodus etiam in hydrope ascite chronicō, et libero et cystico indicatur; rarius quidem evacuationes sanguinis universales, frequentius topicae per cucurbitulas cruentas aut per hirudines cum usu decoctorum emollientium, nitri, tremoris tartari, subinde calomelis solius, vel cum digitali purpurea juncti, illinitio unguenti hydrargyri cinerei in abdomen curam omnem absolvunt.

Neque tamen ascites omnis inflammatorius est; saepe is sub methodo anti-phlogistica incrementa majora capit, quia morbus sustentatur per debilitatem jam erethisticam, jam torpidam; atque tunc remedia statui individuali congrua per considerationem, et simul per observationem in effectus remediorum directam seligimus; non raro status erethisticus observatur in vasis sanguiferis, tunc utilissima sunt acida mineralia diluta, saepe blandiora acida vegetabilia, acidum tartari cum carbonate magnesiae vel bicarbonate sodae, vel acidulae alcalinae; subinde sustentatur status morbosus per exaltatam sensibilitatem nervorum vitae organicae, tunc oleum blandissimum et interne exhibitum forma emulsionis, et externe abdomini inunctum proficuum est; his non sufficientibus narcotica adhibentus, opium ipsum jam solum, jam ipecacuanha junctum. Saepe

momentum morbum sustentans praecipuum est debilitas organorum digestionis, chylificationis, et reproductionis, tunc roborantia, jam mitiora amara, jani potentiora martialia, cinchonacea, in gradu debilitatis majori etiam spirituosa et aetherea indicata sunt; statu asthenico torpido praesente virtutem salutarem exerunt stimuli volatiles, ut camphora, arnica, ammonia. Saepe per remedia hue usque laudata scopum curae assequi haud valens, nisi serum morbose accumulatum evacuatum fuerit; hoc scopo commendantur a nonnullis emetica, ut corpus concutiendo absorptionem et evacuationem seria cavo abdominis promoveant; interim rarissime prosunt, nisi hydrops sedem habuerit in ventriculo; in reliquis casibus debilitatem majorem inducendo nocent; doses tamen refractae emeticorum, in primis ipecacuanhae partim virtute antagonistica, partim vasorum absorbentium activitatem augendo, utilitate haud carent. Majorem laudem sibi meruerunt purgantia, et quidem inter haec princeps est tremor tartari, quo solo ad scrupulum semis usque drachmam unam omni tri. vel bihorio exhibito ascites non raro sanatur; etiam purgantia drastica, ut jalappa, cortex viridis ebuli, sambuci, aloë, colocynthis, scammonium, elaterium, gummi-gutta, helleborus, oleum crotonis tiglia a multis observatoribus, in primis antiquis laudantur. Saepe quidem haec purgantia, hydragoga dicta, animadvententibus P. Frank et Broussais, nocent, partim debilitatem inducendo, partim inflammationem excitando morbum incurabilem redundunt, sed sub observatione medici caute adhibita non raro hydropem aliis pharmacis rebellem tollunt.

Subinde evacuatio serie cavo abdominis perficitur melius per diaphoretica, dum hydrops externus, vel etiam internus, sed simplex incipiens, mitior, per refrigerium productus est; tunc per infusum florum sambuci, xanthob sambuci, ebuli, spiritum Mindereri, calorem externum siccum, ut cineres, arenam, salem culinarem calidos, subinde per balneum tepidum vel balneum vaporis, sudore largo prolixito dissipatur.

In plurimis casibus evacuationem seri ex abdomine perficiimus per diuretica, et quidem pro statu dynamico individuali aegri seligimus jam mitiora, ut crenorem tartari, nitrum, radicem ononidis spinosae, jam fortiora, ut salem tartari, baccas juniperi, scillam marinam, colchicum autumnale, lactucam, digitalem purpuream, herbam equiseti, pyrolam umbellatam, radicem caincae, statu torpido praesente subinde etiam oleum destillatum terebinthinae et tincturam cantharidum. Non raro remedia interne adhibita efficaciam minorem exerunt, externe cuti applicita, abdomini illinita ad scopum deducunt.

Dum ascites therapiae rationali dum adhibitae resistit, commendatur paracentesis abdominis; observatio enim docuit subinde, per ipsam autocratiam naturae umbilico aperto serum omne evacuatum, et sanitatem restitutam fuisse; estque operatio haec saepe successu felici suscepta, non quidem semper; nam non una vice post paracentesim mors cito locum habuit; saepe vita quidem remansit, sed serum iterum cito magna quantitate accumulatum est; ideo a non-nullis paracentesis ut operatio noxia vel saltem inutilis condemnatur. Dantur certo casus, in quibus paracentesis contra-indicata est; scilicet ubi peritonaeum, aut viscus quoddam abdominalis adhuc phlogosi corruptum est, ubi intestina vel alia viscera abdominalia ita morbose extensa sunt, ut immediate peritonaeum contingant, tunc per acum triquetram potest facile vulnus periculosissimum infligi, inflammatio citissime in sphacelum transiens, et inter dolores gravissimos post paucos dies aegrum enecans excitari. Sed dum talis status morbosus non adest, dum ascitem liberum, independentem omnia signa indicant, dum per pharmaca evacuatio seri desiderata obtineri haud potuit, ibi paracentesis abdominis est maxime indicata, innocua et saepe utilissima. In hydrope quidem saccato per operationem non assequimur semper scopum nostrum, quia non raro existunt sacci plures, vel etiamsi tantum unicus, evacuatione peracta iterum nova accumulatio seri contingit; licet eura radicalis sub talibus circumstantiis haud obtineatur,

famen symptomata molestia ad longius tempus dissipantur, et per paracenteses sapientia repetitas vita negri tolerabilis per multos annos conservatur.

Evacuatione seri obtenta ad recidivam hydropis molesti impediendam principia therapeutica contra hydropem in genere laudata observari debent.

Lassis, Diss. sur les avantages de la paracentèse pratiquée dès le commencement de la hydropisie abdominale. Paris. 1803.

Friedreich, Vorzüge des Bauchstiches in der Bauchwassersucht. Würzburg. 1817.

PNEUMATOSIS.

§. 119.

Pneumatosis seu **emphysema**, **tumor aëreus** dicitur ille status morbosus, qui inducitur partim per aërem atmosphaericum in corpus humanum penetrantem et collectum, partim per secretionem morbosam gasis in diversis partibus corporis, ut inde enascatur tumor elasticus crepitans, functiones partium vario modo laedens.

Morbus maxime obvius in cuti observatur — **emphysema cutaneum**, et quidem subinde per vulnus parvum, superficiale, obliquum, cuti illatum penetrat aëris atmosphaericus in textum cellulosum subcutaneum, per calorem rarefit, et sic cutis expanditur in tumorem elasticum ad tactum crepitantem, subinde pellucidum, vocatur **emphysema traumaticum**; tale subinde inducitur in animalibus, quorum integumenta inflantur aere, ut pinguiora appareant. Dum vulnus profundius infligitur cuti, tunc aëris subinde penetrat in cavum pectoris et abdominis, et symptomata diversa provocat, subinde vulnus nullum conspicuum est, et tamen excitatur pneumatosis per laesionem mechanicam ambiguam; ita post contusionem pectoris, luxationem vel fracturam costarum exoritur **emphysema pectoris**,

frequentius unius, raro utrinque lateris, persentitque aerger ab aere accumulato dyspnoeam, subinde etiam dolorem, fuisse siccum, anxietatem magnam, volumen pectoris augetur, inter costas prominet tumor elasticus, ad tactum crepitans; non raro etiam textus cellulosus subcutaneus lateris affecti emphysematice intumescit. Similis pneumatosis ambigua efformatur subinde in parturientibus, dum sub doloribus partus capite postrosum reclinato violenter inspirant; tunc collum intumescit, et species bronchocelis emphysematici inducitur. Sed enascuntur in cuti tumores aërei etiam sine laesione mechanica per solam secretionem morbosam gasis; subinde sunt phlyctaenae, subinde bullae majores, quae in vicem liquidi videntur esse vacuae et aërem continent, quemadmodum varicellas et variolas tales adnotavimus. Subinde symptoma hypochondriasis, hysterias, febris constituunt tumores aërei cutanei; etiam febres epidemiae adnotatae sunt, in quibus emphysema cutaneum semper comparuit.

Timmermann, Diss. de emphysemate, Rinteln. 1765.

Hebenstreit, Diss. de emphysemate. Lipsiae. 1803.

§. 120.

Non tantum in cuti, verum in diversis partibus corporis deteguntur tumores aërei, in vasis sanguiferis et lymphaticis, in visceribus cavi pectoris et abdominis, in ipso encephalo, quae tamen pneumatoses per anatomos pathologos adnotatae in vivo haud cognoscuntur; sed dantur aliae quae se manifestant signis sufficientibus; ita subinde secernitur aëris in genitalibus virilibus, ut ex urethra in vicem seminis aëris explodatur; frequentior est pneumatosis in genitalibus foemineis ita, ut aëris jam e vagina tantum, jam ex utero ipso excludatur. Adnotati sunt casus pneumatosis uterinae seu physometrae, ubi aëris morbose secretus in utero ita accumulatus fuit, ut tumor enatus sit elasticus, in maiorem molem extensus, dolorificus, qui comprimendo partes vicinas alvi et urinae evacuationem impedivit, et symptomata hysterica excitavit.

Frequentissima est pneumatosis quae locum habet in tubo alimentari, sedemque ejus constituit subinde oesophagus, qui frequentissime in parte cervicali superiori ac inferiori spasmotice constringitur, dum pars intermedia intumescit; tumor talis molestus suffocatione minitans observatur in hysteris et hypochondriacis, et vocatur globus hysterius. Subinde totum collum tunc monstrose tunet, ut videatur caput immediate truncō appositum esse. Frequentior est sedes talis pneumatosis in ventriculo, qui ab aëre accumulato extenditur in molem magnam, ita ut partem majorem cavi abdominis occupet; aeger experitur dolorem in regione epigastrica, respirationem difficultem, brevem, inquietudinem et anxietatem magnam, quae non disparent, nisi aëre evacuato per ructus, aut flatus.

Frequenter pneumatosis gastrica juncta est cum entérica, quae saepe sola observatur; estque illa omnium frequentissima. Saepe sub febris acutis omnis generis, primis sub febre gastrica, gastrico-putrida per aërem morboso accumulatum inducit tumor abdominis ad attactum resonans, dicitur meteorismus. Subinde talis accumulatio gasis in tubo intestinali contingit sine febre, et connectitur cum dolore intenso, vocatur colica flatulenta vel enteralgia physodes. Saepe status tubi intestinalis morbosus est chronicus, sub quo secretio, et accumulatio aëris molesta locum habet, sed tantum transitoria, et tunc vocatur flatulentia; et quidem saepissime in ventriculo evolvitur gas acidum carbonicum, in intestino tenui gas azoticum, in intestino crasso gas hydrogenium; interim variant characteres gasis evoluti pro varietate momentorum pathogeneticorum. Saepe gas in tubo intestinali evolutum retinetur, et dum per intestina movetur sonum edit varium, dicitur borborygmus; saepe per ventriculum et oesophagum exploditur — ructus; saepe per intestinum rectum evacuatur jam tacite — peditus, jam cum sono — crepitus vel bombus.

F. Combalusier, Pneumatopathologia. Parisiis. 1742.

— Traité des maladies venteuses. Paris. 1754.

- H. F. Delius, *Abhandlung von Blähungen, als einer öfters verborgenen Ursache vieler schweren Zufälle*, Nürnberg. 1762.
- J. L. Marugi, *le malattie flatuose*, Napoli. 1786.
- J. C. G. Ackermann, *Pathologisch-praktische Abhandlung über die Blähungen*. Altdorf. 1800.
- F. E. Fodéré, *Essai théorique et pratique de pneumatologie humaine, ou recherches sur la nature, les causes et le traitement des flatuosités*, Strasbourg. 1829.

§. 121.

Praeter pneumatosim abdominis transitoriam datur alia perennis, quae sine intermissione adest, et tunc vocatur tympania vel tympanitis, qua praesente abdomen aegri semper tumidum, ac tensum est tumore elasticō, ut quotiescumque percutiatur tympani instar resonet. Evolutionem morbi hujus saepe praecedunt longiori tempore diversa symptomata, functionum viscerum abdominalium lassionem indicantia, ut gastralgiae, enteralgiae, nauseas, vomititiones, alvi evacuationes inordinatae, in sexu foemineo anomaliae fluxus catamenialis; morbus dein successive evolutus semper indolem chronicam habet; et postquam diu duravit, inducit semper habitum cachecticum; aegri plurimi emaciantur, respiratio evadit anxia, anhelosa, decubitus impeditus, somnus valde inquietus, alvus utplurimum pertinaciter obstipa; subinde accedit icterus; sub fine morbi evolvuntur symptomata febris hecticae, et non raro tunc comparent in abdome inflammationes cum doloribus intensis, inquietudine nimia; aeger tamen spem et desiderium vitae retinet.

Pneumatosis abdominalis perennis duplex distinguitur: alia est intestinalis, frequentior, sedem habens in ipso tubo intestinali, qui totus per aërem morbosa accumulatum extenditur; frequentissime secretio morbosa gasis contingit per superficiem internam tubi intestinalis; subinde tamen observata fuit pneumatosis enterica externa, ubi nempe secretio gasis inter ipsas membranas tubi intestinalis locum habuit. Subinde tubus intestinalis non est

aëre extensus, potius compressus, sed secretio et accumulatio aëris contingit in ipso cavo abdominalis, in sacco peritonaei, et tunc vocatur tympania vel pneumatosis abdominalis in sensu strictiori.

Diagnosis harum specierum remanet non raro dubia; in genere in tympania abdominali tumor elasticus abdominalis est magis aequabilis, in tympania intestinali est tumor ut plurimum inaequalis ita, ut in macilentis tam visu quam tactu gyri intestinorum distingui possint; in tympania abdominali functio tubi intestinalis non est adeo laesa, ructus et fatus nulli subsequuntur; aut etiam si evacuentur, nullum levamen ferunt, dum in tympania intestinali per ructus et fatus status aegri multum allevatur. Diagnosim praeterea illustrat successiva evolutio morbi, et consideratio momentorum pathogeneticorum individualium. Nec tamen semper dubium omne dissipari potest, quia in non-nullis casibus tympania utraque adest; subinde cum ascite complicatur; rarius quidem evolvitur ascites e tympania abdominali, frequentius ascite praesente accedit pneumatosis, quae in genere ab invicem distinguuntur, quod tumor abdominalis per liquidum morbose secretum inductus sit ponderosior et ad pressionem fluctuationis sensum excitet.

Wallbaum, Diss. de tympanitide. Trajecti ad Rhenum. 1760.

Brendel, Diss. de tympanite. Göttingae. 1747.

C. F. Kadelbach, de tympanitidis pathologia et therapia. Lipsiae. 1772, 1773.

Baumer, Diss. de veris tympaniae causis ac rationali curatione. Giesae. 1774.

van der Sande, Diss. de tympanitide. Gröningae. 1784.

W. Trnka de Krzovitz, Historia tympanitidis, omnis aevi observata mediae continens. Viennae. 1788.

Scully, Diss. de tympanitide, Edinburgi. 1801.

L. Rintel, de tympanitide. Göttingae. 1808.

J. G. Beutner, de quibusdam praesidiis in pneumaticosi abdominali administrandis, Heidelbergae. 1815.

§. 122.

Ad diagnosim confirmandam praeter symptomata et causae morbi exquirendae sunt. Requiritur ad morbi generis dispositio peculiaris, quae saepe congenita, saepe post nativitatem; per influxus potentiarum nocentium acquisita est; ita qui vitam sedentariam ducunt, errores in diaeta committunt, vitiis diversis viscerum abdominalium, hypercinesia hysterica vel hypochondriaca laborant, si post causas etiam leviores pneumatosi afficiuntur. Causae autem excitantes sunt variae; sic pneumatosis cutanea traumatica inducitur per vulnera, subinde vero sine ulla laesione mechanica per solam excretionem morbosam. Pneumatosis intestinalis excitatur ab ingestis alimentis et potulentis, ut leguminibus, oleribus, fructibus horrei, in primis crudis, e musto, vino horno, cerevisia non satis defocata, quae ingesta speciem fermentationis subeunt in ventriculo et tubo intestinali, cum gasis copiosi evolutione. Sed ex omnibus alimentis et potulentis evolvuntur flatus copiosi, et molestiae excitantur diversae, dum evacuatio foecum impedita est, forte per excrementa nimis indurata, per vermes intestinales copiosos in glomeris convolutos, per tubercula haemorrhoidalia, vel alios tumores intestini recti, per herniam incarceratam vel volvulum; vel si tubus intestinalis compressus est per serum morbose accumulatum, per uterum gravidum, vel per tumores alios in cavo abdominis enatos. Saepe sine vitio organico impeditur alvi evacuatio, atque tunc evolvitur e foecibus retentis gas, dum nempe tubus intestinalis spasmodice contractus est, ob inflammationem partis ejusdam tubi intestinalis, vel ob statum hypererethisticum, ut in hysteris et hypochondriacis locum habet. Subinde sine inflammatione et sine spasio contingit evolutio gasis morbosa in ventriculo et tubo intestinali, dum digestio et chylificationis est nimis lenta et imperfecta ob debilitatem torpidam organorum digestionis et chylificationis, ita in febribus acutis asthenicis, in primis cum charactere septico, in convalescentibus e morbo gra-

vi, in debilibus per quamcunque causam enervatis; inducuntur flatulentiae nimiae alimentis et potulentis etiam optimis sed relative majori quantitate ingestis; ita non raro in voracibus ventriculus extenditur in molem nimiam, et digestio tam lente perficitur, ut ingesta semper fermentationem subeant; talis status torpidus flatulentiae favens sustentatur etiam per vitia organica tubi intestinalis, et systematis venae portarum, per indurations, scirrum, ulcera, varices. Nec tamen omnis pneumatosis ab ingestis repeti potest, saepe e liquidis inquilinis, ex ipso sanguine secernitur gas in diversis partibus organismi, frequentissime in cavo abdominis ita, ut tympania intestinalis et abdominalis saepius productum sit talis secretionis morbosae, quam excitant diversae causae; subinde vitia organica ventriculi, vel tubi intestinalis, dilatatio, vel coarctatio morbosa, induratio, scirrus, ulcera, carcinoma. Saepe talia vitia organica reperiuntur in hepate, liene, pancreate, renibus, utero, in vasis majoribus haematophoris, vel lymphaticis, et eorum glandulis. Saepe sine omni vitio organico excitatur pneumatosis enterica, constituitque talis symptoma enteritidis, vel colicae flatulentae; ita etiam pneumatosis abdominalis non raro characterem inflammatorium habet, quem indicant cutis utplurimum sicca calida, pulsus arteriarum frequens, etiamsi contractus sed durus, sitis intensa, urina parca flammula, abdomen tensum valde dolorificum; confirmant characterem eum momenta morbi pathogenetica, dum in aegro jam antea ad morbos inflammatorios praedisposito excitata fuit pneumatosis, post refrigerium admissum vel potus spirituosos excessive haustos, vel venena acria deglutita, vel per evacuationes habituales cruentas suppressas; confirmatur natura morbi inflammatoria per observationem effectus remediorum exhibitorum, dum nempe post usum stimulantium morbus semper exasperatur. Nec tamen natura morbi semper inflammatoria est, saepe character dynamicus est vere asthenicus, et quidem jam cum hypererethisia, jam cum torpore junctus; talis inducitur per febres adynamicas, per febrim putridam, per

evacuationes nimias, ut diarrhoeam, dysenteriam, haemorrhagiam, per vitam sedentariam, abusum purgantium; subinde ob dispositionem aegri in statum asthenicum excitatur pneumatosis antagonisticæ, dum aliae evacuationes habituales suppressuntur, vel dum alii morbi ut rheumatismus, arthritis, efflorescentias cutaneae subito disparent; subinde talis pneumatosis est symptomata alterius morbi, hypercinesiae hystericae vel hypochondriacæ.

§. 123.

Momentis omnibus morbi per considerationem inter se combinatis prognosis probabiliſ pronunciari potest. Pneumatosis cutanea, a causis mechanicis inducta, superficialis saepe cito sanatur, profundior in cayum pectoris aut abdominis penetrans periculis hand caret; pneumatosis cutanea sine vitio mechanico per secretionem morbosam generata sequitur prognosim morbi ejus per quem producitur; ita pneumatosis cutanea in febri cum charactere septico evoluta est summe periculosa. Pneumatosis intestinalis a saburra generata in genere est minus periculosa, nam evacuatione subsecuta saepe per solam autocratiam naturae tollitur. Pneumatosis perennans prognosis habet semper dubiam; in sensu strictiori dynamica cum charactere mitiori inflammatorio prognosis laetiorem agnoscit; sub charactere dynamico torpido prognosis minus fausta est; ubi vitia organica adsunt, ut scirrus, cancer in tubo intestinali, vel in aliis visceribus cavi abdominis arti omni rebellia, ibi cura morbi est impossibilis; tunc tumor aëreus semper magis increscit, digestio, chylificatio, sanguificatio, nutritio corporis semper magis impediuntur, corpus emaciatur, denum febris hecticae symptomata comparent, et non raro tunc in cayo abdominalis evolvitur inflammatio doloribus summis aegrum divexans, quae in sphacelum transit, et sic vitae miserae finem imponit; talibus causis haud subversantibus per therapiam rationalem pneumatosis feliciter sanari potest.

§. 124.

In therapia conamur causas morbi removere, aerem morbose accumulatum evacuare, et recidivam morbi impedire; quas indicationes diverso modo exequimur pro diversa natura morbi. Ita in pneumatosi traumatica conamur aerem atmosphaericum expellere per vulnus, pressione et frictione; si vulnus obliquum parvum egressum aeris impedit, tunc dilatationem ejus justam instituimus; subinde in auxilium vocamus cucurbitulam ventosam vel speciem antliae, qualis applicamus mammis pro lacte sugendo. In pneumatosi cutanea ambigua, per contusionem excitata, applicamus initio fomenta ex aqua frigida, ad contractilitatem texfus cellulosi exaltandam; morbo jam diutius durante efficaciam majorem exercent fomenta calida sicca, vel humida ex herbis aromatis cum aqua, vino vel cremato, lotiones cum spiritu vini saponato, inunctiones cum linimento volatili vel linimento saponato-caniphorato. Subinde status dynamicus abnormis in gradu eminentiori provocatus, prout vel characterem inflammatoryum energicum vel adynamicum habet, curam individualem requirit.

In pneumatosi intestinali, ab ingestis excitata, indicatio est evacuatio saburrae via brevissima; ideo subinde emetica, saepius purgantia sunt necessaria; subinde sufficiunt clysmata. Non raro sub usu purgantium diu continua. to morbus semper magis increscit, quia secretio morbosa gasis in organismo sustentatur, imo augetur; tunc causam hujus secretionis removere debemus; saepe evacuatio alia habitualis suppressa, vel morbus alter e cuti evanidus, vel infarctus abdominales sustentant pneumatosim, tunc contra illas causas therapia dirigenda est. Saepe nullam causam specificam detegere valamus, tunc indicationem curae desumimus e charactere dynamico organico morbi, qui non raro est inflammatoryis; atque talis requirit methodum anti-phlogisticam, subinde venae sectiones, frequentius hi. rudines, aut cucurbitulas cruentas, practerea emollientia blandissima, ad alvum pertinaciter obstipam solvendam ole-

um lini, vel olivarum recens, vel amygdalarum dulcium, vel ricini, omni hora vel bihorio uno cochleari, clysmata emollientia e decocto furfurum vel specierum emollientium, quibus addimus oleum blandum vel butyrum. Remediis laudatis haud sufficientibus post sanguinis evacuationem praemissam medicinam efficacissimam possidemus in aqua frigida, quae recens hanritur, et externe ut fomentum frigidum, saepe et glacie mixtum abdomini applicatur.

Nec tamen pneumatosis omnis therapie anti-phlogisticae cedit; saepe enim character morbi est asthenicus, et tunc stimulantia, quae in genere carminativa vocantur, indicata sunt, seligimusque ex iis gradui debilitatis et constitutioni individuali adaequata, saepe tantum per observationem continuatam cognoscenda. In gradu debilitatis minori convenient infusum florum chamomillae vulgaris, chamomillae romanae, herbae melissae, menthae crispae, menthae piperitae, foliorum aurantiorum, seminum anisi, cumini, foeniculi; sub gradu debilitatis majori addimus infusis laudatis liquores aethereos, ut spiritum nitri, salis dulcem, liquorem anodynum mineralem, spiritum cumini, melissae, tincturam corticum aurantiorum, aetherem vitrioli; quae tamen stimulantia volatilia tantum contra flatulentiam transitoriam ob symptoma urgentia, absente omini diathesi inflammatoria adhiberi possunt. Dum pneumatosis talis sustentatur per debilitatem chronicam, tunc vitae regimen roborans maxime necessarium est; causis debilitantibus remotis aeger quotidie in aere puro sicco suscipiat motus moderatos, cibis utatur animalibus aromate grato conditis, pro potu praeter aquam vinum generosum ei convenit; simul pharmaca adhibeat jam sola amara, ut herbam absinthii, cardui benedicti, centaurei minoris, trifolii fibrini, radicem gentianae, lignum quassiae, jam amaro-aromatica et acria, ut radicem acori, enulae, gei urbani, baccas juniperi, capsicum annum, piper nigrum, corticem canellae albae, corticem cassiae ligneae, nucem moschatam; quibus subinde jungimus et martilia, et cinchonacea. Dum ob statum asthenicum torpidum remedia laudata nedum sufficiunt.

ciant, tunc recurrimus ad ammoniam, ejus in tympania intestinali omnibus aliis remediis rebelli omni biliariori exhibendo granum semis insigniter profuisse testatur P. Frank. Dum status debilitatis non est in gradu magno, ad secretionem morbosam gasis in tubo intestinali tollendam utiliter adhibentur absorbentia, ut pulvis lapidum cancerorum, sal tartari, bicarbonas sodae, aqua calcis, magnesia usta, et pulvis carbonis vegetabilis.

Dum interna remedia sola non sufficiunt, in auxilium vocamus etiam externa, ut clysmata jam emollientia jam e decocto furfurum cum aceto, jam purgantia irritantia, jam stimulantia ex infuso herbarum aromaticarum cum vino, jam anti-spasmodica ex infuso florum chamomillae, vel radicis valerianae cum asa foetida, saepe inunctiones, fomenta.

Dum post therapiam omnem hucusque laudatam inflatio tubi intestinalis ab aere perdurat, proposita fuit antlia peculiaris, ejus ope aer extrahitur e tubo intestinali, quod subinde obtinetur per syringam communem pro clysmato destinatam. Commendata fuit etiam paracentesis abdominis, quam veterinarii in pecoribus successu felici instituunt; in homine tamen ob tympaniam intestinalem operatio haec locum non habet, dum enim morbus therapiæ laudatae resistit, summa cum probabilitate vitia organica adsunt, et per vulnus illatum, nisi intestina cum peritonaeo concreta essent, provocaretur effusio liquidorum entericorum in cavum abdominis, et sic excitaretur inflammatio letalis; ideo operatio haec commendari potest tantum contra pneumatosim abdominalem; dum talis tympania simplex sine inflammatione, et sine vitio organico existit, pharmacisque aliis rebellis est, operatio indicata est; sed dum vitia organica, scirrhous, cancer, ulcera vel inflammatio chronica tympaniam sustentant, tunc paracentesis vix producit levamen transitorium, inflammatio exoritur, cito in sphacelum transiens.

Evacuatione aeris obtenta ad recidivam praecavendam causae nocentes per observationem erutae sollicite arceri

debent, et pro charactere dynamico morbi praegresso jam methodus mitior anti-phlogistica, jam roborans longiori tempore continuetur; in pneumatosi abdominali chronica utiliter adhibetur compressio abdominis moderata per fasciam aut cingulum.

CACHEXIAE CUM EMACIATIONE.

§. 125.

Marcores seu emaciations, consumtiones, morbi consumtivi, morbi tabidi vocantur in genere illi morbi chronicis, quorum symptoma praecipuum est emaciatio corporis conspicua. Subinde emaciatio haec tantum ad unam partem restricta est, marcor partialis seu aridurae, saepe emaciatio extensa est per maximam partem corporis; marasmus universalis, qualis duplex distinguitur: saepe emaciatio talis locum habet sine ulla suppuratione, et tunc vocatur in sensu strictiore tabes, cuius species sunt: tabes nervosa, tabes dorsalis, atrophia infantilis et marasmus senilis. Saepe emaciatio corporis inducitur in primis per suppurationem in parte una corporis evolutam, tunc vocatur in sensu strictiori phthisis, cuius tot species distinguuntur, quot partes suppuratione corripiuntur, inter omnes frequentissima est phthisis pulmonalis.

Bennet, theatri tabidorum vestibulum. Londini. 1654.

— Theatrum tabidorum, seu phthiseos, atrophiae et herticae xenodochium. Lipsiae. 1700. Vindobonae. 1708.

O. A. G. Berends, Lectiones de morbis tabificis, edidit et praefatus est A. G. Stosch. Berolini. 1829.

T A B E S.

§. 126.

Ta b e s est in genere emaciatio corporis sine suppuratione; incipit lente ut saepe longiori tempore vix obseretur; sub ulteriori morbi incremento volumen corporis manifeste imminuitur, adeps consumitur, aeger evadit pallidior, artuum debilitatem persentit de die in diem magis crescentem ita, ut motus et labores suos consuetos semper cum alacritate minori perficiat, cutis et musculi redunduntur molliores et flaccidiores, appetitus cibi perdurat saepe bonus ita, ut aeger multum ingerat, et tamen in volumine corporis nihil proficiat; initio saepe per menses etiam plures nulla symptomata febrilia observantur, sed tandem citius vel tardius pro diversa constitutione individuali aegri et pro diversa indole causarum tabis accedit febris, quae ob emaciacionem simul conjunctam vocatur **f e b r i s d e p a s c e n s**, **c o n s u m e n s**, **h e c t i c a**, ob durationem diuturnam **l e n t a**, stipaturque initio symptomatis mitioribus; quosidie bis recurrit, circa meridiem est mitior, se manifestans per horripilationem exiguae, quam frigore vix observato excipit calor siccus, in primis in volvis manuum et plantis pedum cum dedolatione corporis, capitis gravitate, genarum rubore, pulsu frequentiore; duratque haec alteratio febrilis per quadrantem horae usque medium horam; sub morbi incremento symptomata evadunt intensiora, excurritque alteratio febrilis per duas usque tres horas. Alteratio vespertina est in genere validior, incipit cum horripilatione longiori, quam excipit semper frigus, initio mitius, dein intensius, per quadrantem horae unum subinde plures excurrens, cum tremore corporis, extremitatum frigore intensiore, pallore faciei, livore labiorum et unguium, siti intensiore, pulsu frequenti et contracto; frigore successive remittente comparet calor, per horam unam et plures, sub morbi incremento usque mesnoctium excur-

rens, siccus, aegro valde molestus, cum oris siccitate, siti, cephalaea, inquietudine; anxietate, subinde deliriis, cum pulsu frequenti, pleniore, rubore cutis aucto, inprimis genarum circumscripto, ardore in primis molesto in plantis pedum ac volvis manuum, dicitur calor hecticus. Postquam calor per pauciores vel plures horas duravit, sequitur sudor sub exordio morbi parcior, sub incremento morbi profusus, sub quo aeger incidit in somnum, et non raro sudor continuat usque horas matutinas, aegrum vix allevans; nam plurimi mane e somno evigilantes conqueruntur de majori corporis lassitudine, quam ante decubitum habuerunt, febris initio intermittens ut plurimum alternis diebus intensior est, tertianam duplice referens; sub incremento morbi evadit continua cum exacerbationibus quotidianis duplicibus, atque sub alteriori incremento accedunt symptomata colligationis: sudor profusus, diarrhoea, emaciatio tanta, ut cutis tantum ossa obtegere videatur, nisi evolvatur hydrops, quod non raro contingit.

§. 127.

Ex symptomatibus omnibus collectis et inter se combinatis non est difficile, tabem et febrim hepticam praesentem cognoscere; cognitione tamen haec nosographicam sola ad therapiam rationalem instituendam nequaquam sufficit, nam febris heptica minime habet semper eandem naturam. Brussais docuit, febrim hepticam omnem esse inflammatoriam, et eam semper per methodum anti-phlogisticam, in primis per hirudines curandam esse, nec dubium est, febres hepticas charactere inflammatorio praeditas non raras esse, talesque per menses etiam plures excurrere; tales sustentantur per inflammationem cujuscunque partis chronicam, cognoscunturque, quod in parte aliqua corporis per investigationem scrupulosam detegantur symptomata aliqua inflammationis latentis; febris est statim ab exordio magis continua remittens, intermissione vix locum habente, tantum exacerbationibus quotidie binis notata; in genere calor cutis est intensior, pulsus durior, atque sub

usu pharmacorum stimulanti-roborantium symptomata morbi increscunt, per methodum anti-phlogisticam congruam imminuuntur. Nec tamen febres hecticae omnes inflammatoriae sunt, non raro eae, ut Richter cum fundamento docet, characterem gastricum habent; et quidem subinde febrim hecticam comitantur gastralgia, enteralgia, nausea, sapor oris amarus, lingua muco flavicante tecta, ructus amari, vomitutio, vomitus biliosus, quibus accedunt color flavicans in conjunctiva oculi, striae flavicantes circa labia oris et pinnas narium, subinde ieterus, cum urina crocea, alvo obstipa vel diarrhoica, vocatur talis febris hectica biliosa, quae enascitur et sustentatur per statum dynamico-organicum abnormem organorum cholopoeticorum. Subinde aeger laborat febri cum emaciacione diu durante, cum gastro-enteralgia saepe recurrente, flatulentiis, ructibus mucosis, salsis, sapore oris fatuo, facie pallida, non raro oedematoso, languore musculari magno, ejectione muci largiore; subinde excretio muci abnormis per emesim, per diarrhoeam vel alio modo contingit, vocatur talis febris hectica mucosa. Saepe symptomata observantur, in primis talia, quae statim abnormem systematis nervosi indicant, ut dolores intensi, spasmi, paralyses, debilitates nimiae, cordis palpitationes, anxietas nimia, deliria, sensuum illusiones; atque talis febris hectica in subjectis tenerioribus, hystericiis, hypochondriacis ut plurimum evoluta vocatur lenta, nervosa, etiam tabes nervosa.

Fournier, Observations sur la nature, les causes et le traitement des fièvres lentes. Dijon. 1781.

W. Trnka, Historia febris hecticae, omnis aevi observata continens. Viena e. 1783.

Sachtleben, Versuch einer Medicina clinica, oder praktische Pathologie und Therapie der abzehrenden Krankheiten. Danzig. 1792.

Wolf, Diss. de tabe, Francofurti ad Viadr. 1802.

Broussais, Recherches sur la fièvre heptique. Paris. 1803.

§. 128.

Ut diagnosis tabis clara reddatur, oportet etiam causas ejus exquirere; aliqui homines dispositionem peculiarem habent jam congenitam, jam vero tardius per influxus potentiarum nocentium productam, qui nempto fabrica corporis teneriori gaudent, licet nec robusti a morbo exempti sunt. Causam proximam tabis omnis constituit nutritio corporis impedita, partim quod succus nutritius minori quantitate praeparatur, partim quod excretiones multum superant reproductionem. Talis status abnormis inducitur per defectum alimentorum non tantum in teneris infantibus, sed etiam in adultis. Sed alimentis etiam sufficienti quantitate praesentibus potest tabes enasci, si processus nutritio-
nis et reproductionis impedita est, nam antequam alimenta in nutritionem corporis impenduntur mutationes multipli-
ces subeunt; debent in cavo oris dentibus commoliri, sa-
liva misceri, deglutiri, in ventriculo in chymum, in tubo intestinali in chylum mutari, deinde per actionem vitalem vasorum et glandularum lymphaticarum in lympham assi-
milari, tandem per actionem cordis vasorum haemato-
rorum, concurrente actione viscerum imprimis pulmonum in sanguinem mutari, ex quo deinde in vasis capillaribus efformatur succus nutritius singulae parti idoneus. Quo-
tiescunque per status dynamico-organicos mutationes ne-
cessariae alimentorum in suorum nutritum impediuntur, ta-
bes enascitur, hinc causae excitantes tabis in organismo sunt: masticatio neglecta vel impedita, sorte ob trismum maxillae diutius durantem, ob luxationem maxillae infe-
rioris, ob dentitionem difficilem, vel odontalgiam diuturnam, ob ossium cariem, ulcera oris, aphthas, vel ob glan-
dularum salivalium statum morbosum; impedita deglutitio ob dysphagiam inflammatoriam, spasticam, paralyticam, vel a vito organico in pharynge vel oesophago vel parte vicina haerente inductam; impedita digestio in ventriculo, quod ingesta vomitu rejiciuntur, vel imperfecte digeruntur, ob statum inflammatorium acutum vel chronicum, ob sta-

tum spasmodicum, vel torpidum paralyticum, ob vitia organica ventriculi, ut indurationem, emollitionem morbosam, vel exulcerationem, ob secretionem morbosam muci vel succi gastrici; impedita chylification in tubo intestinali, quod chymus nimis cito expellitur, vel imperfecte in chylum mutatur, ob statum dynamico-organicum abnormem ipsius tubi intestinalis, inflammationem, spasmum, torporum, paralysim, indurationem, emollitionem, exulcerationem, secretionem morbosam, compressionem a partibus vicinis, vel situm abnormem, vel ob statum dynamico-organicum morbosum viscerum ad chyli cationem concurrentem, ut hepatis, lienis vel pancreatis; impedita absorptio et assimilatio in vasis lymphaticis, ob statum dynamico-organicum abnormem glandularum lymphaticarum, in specie mesaraicarum, vasorum lymphaticorum obstructionem, exulcerationem, rupturam; impedita sanguificationis ob statum dynamico-organicum abnormem cordis, vasorum haematophororum, et viscerum complurium; tandem impedita functio vasorum capillarium, in quibus succus nutritius praeparatur, et cuius energia vitalis maxime determinatur per influxum systematis nervosi vitae organicae, ideo etiam status abnormis systematis nervosi in genere, in primis autem systematis ganglios causam praecipuam tabis constituit.

Status morbosus organorum enumeratorum inducuntur per diuersas causas externas, non raro per aërem atmosphaericum corruptum, humidum, cui homo longiori tempore expositus est, per alimenta et potentia nimirum quantitate ingesta, quae partim mechanice extendendo, partim irritando in organis digestionis et chylificationis debilitatem inducunt; ita subinde potus excessivus aquae tabem excitat, longe frequentius tamen potus excessivus spirituorum, in primis cremati, quo inducitur species inflammationis chronicæ, unde induratio, incrassatio in oesophago, ventriculo, ac tubo intestinali subsequitur; simili ratione nocent venena narcotica, ut opium et venena metallica, ut arsenicum, mercurius sublimatus corrosivus, plumbum,

quae excitant tabem metallicam; non raro evacuationes nimiae sub vomitu, diarrhoea, dysenteria, cholera, ptyalismo, ephidrosis, haemorrhagia, galactorrhoea, gonorrhoea, blennorrhoea causae sunt excitantes tabis, quae provocatur subinde per otium, vitam sedentariam, quatenus per defectum motus debilitas inducitur in omnibus organis reproductionis; sed etiam motus excessivus, labor ultra vires organismi protractus tabem excitat; non secus etiam mentis adstrictio pimia, diu continata, in primis si alii simul errores accesserunt, ut si tempus nullum vel exiguum concedatur somno, errores committuntur in diaeta; excessus sicut in venere, vel si animus affectibus exagitatur; it enim soli saepius revertentes, ut tristitia, amor infelix, spes delusa, desperatio, ira, indignatio, odium, invidia, avaritia tabem inducere valent, quam provocant non raro morbi alii, ut febres tam continuae, quam intermitentes, inflammations topicae, efflorescentiae cutis, profluvia et retentiones, cachexiae et neuroses.

§. 129.

Prognosis tabis evolutae variat pro diversitate momentorum enumeratorum; non raro ea etiam diutius durans causis excitantibus remotis sponte per autocratiam naturae tollitur, sed saepe saepius hominem quem comprehendit, non amplius deserit, in primis si vita organica in gradu majori et in pluribus organis evoluta fuerunt, tunc emaciatio semper magis increscit. Subinde nec febris hectica intensa, nec alia symptomata gravis aegrum affligant, tantum semper magis emaciatur, ut tandem similis sit sceleto vivo, et tunc saepe statum suum laudat, spem sanitatis recuperandae conservat, et pacatissime exspirat; species tamen talis tabis sunt rariores; in casibus longe pluribus sub morbi incremento accedunt symptomata molestissima, praeter febrim depascentem quotidie bis exacerbantem, et debilitatem corporis nimiani comparent diarrhoea et sudor colligativus, sub quo etiam capilli defluunt; comparent deenbitus in parte omni, cui incumbit aeger, exulcerantur,

et dolorem excitant intensum, efformantur ulcera etiam in cavo oris, in primis in isthmo faucium, et deglutitionem negro esurienti et sitienti summe dolorificam reddunt; non raro ob debilitatem et corruptionem inchoantem efformantur similia ulcera in trachea ac larynge, unde tussis violenta et vox rauca; similia ulcera efformantur subinde in ventriculo et tubo intestinali, propterea aeger excruciat doloribus summis in regione epigastrica et abdominali; non raro accedit hydrops, tandem evolvuntur symptomata febris nervosae, pro fortuna non diu durantis. Quamprimum symptomata stadii colliquationis evoluta sunt, senes consilium dederunt, ut medicus honesta ratione se curae ulteriori subtrahat, quod tamen consilium sensui humanitatis adversum nunquam sequimur, eo minus cum observatio felix docuit, non tantum morbum incipientem, sed etiam per annos excurrentem et symptomatibus gravissimis stipatum per therapiam rationalem feliciter sanari.

§. 130.

In therapia conamur causas excitantes morbi removere; ideo aerem corruptum corrigimus, vel aegrum ejus influxui subtrahimus; qualitatem et quantitatem alimentorum aegro individuali congruam definimus; profluvia nimia refraenamus, contra animi affectus noxios remedia psychica commendamus, morbum aliud, per quem tabes sustentatur, therapia congrua impugnamus, et non raro indicatione hac sola expleta curam reliquam perficit sola autocratia naturae.

Causis excitantibus remotis, vel cito haud removendis, indicationem curae alteram desumimus a charactere dynamico-organico, per momenta diversa in organismo producto, et symptomata tabis sustentante, qui saepe non tantum in stadio primo ubi febris nulla observatur, sed etiam in stadio secundo ubi symptomata febris hecticae evoluta sunt, characterem inflammatorium habet; quod non tantum observationes a Brôussais relatae, sed ab aliis etiam observatoribus eximiis, ut Stoll, Richter, Frank etc. et hic factae comprobant; in tali casu metho-

dus anti-phlogistica est indicata; saepe sufficit mitior, ut vitae regimen anti-phlogisticum, decocta emollientia, acida vegetabilia; ita exempla habemus tabis et febris hecticae consanatae per succum betae ciclæ, cucumerum, caulinum acetatorum, per fructus horrei maturos, cerasa, pruna, botros dulces, per serum lactis, per acidulas alcalinas dictas tam solas, quam cum sero lactis; vel lacte combinatas. Saepe tamen methodus anti-phlogistica mitior effectus desideratos haud praestat, symptomata diligenter observata nos convincunt de inflammatione topica chronica in parte aliqua organismi latente, in qua focus est tabis, et febris hecticae; tunc sanguinis evacuatio cum moderamine recto suscipi debet; evacuamus nempo sanguinis unciam unam, duas tres-ve per venæ-sectionem, saepius per hirudines, quae evacuatio pro rerum adjunctis non raro repeti debet, et per hanc cum vitae regimine stricte anti-phlogistico morbus, secus organismum praecipitans, saepe feliciter tollitur.

Neque tamen methodus anti-phlogistica contra omnem tabem et febrem hecticam indicata est; observatio tristis docuit, per methodum talem statum aegri fuisse adeo detiorem redditum, ut deinde nulla arte potuerit emendatio procurari; saepe saepius non obstantibus etiam doloribus fixis, calore exaltato, pulsu frequenti et subinde duro, tabes et febris hectica non est inflammatoria, sed vere asthenica, et symptomata omnia producuntur sine ullo vitio organico, tantum per irritabilitatem morbose exaltatam, ob statum dynamico-organicum morbosum systematis nervosi; propterea vocatur tabes et febris hectica nervosa, qualis producitur saepe per evacuationes qualescumque nimias, per vigilias diu protractas, per animi affectus ingratos, per corporis et mentis adstrictionem nimiam; atque in tali casu methodus anti-phlogistica, in primis sanguinis evacuatio nullum aliud emolumentum praestat, quam quod aegrum a vita hac misera citius liberet; species talis tabis et febris hecticae saepe feliciter sanatur per methodum roborantem, quae summa cum cautela adhiberi debet;

nam ab empiricis laudantur contra tabem remedia roborantia et stimulantia copiosa, quae incaute adhibita plus nocent, quam prosunt. In tali tabe nervosa debilitas semper est conjuncta cum hypercinesia; ideo roborantia tantum blandissima indicata sunt. Saepe curam inchoamus et non raro perficimus lacte, et quidem principem locum tenet lac humanum, quo non tantum infantes teneros, tabe eminenti in gradu affectos, iterum vegetos et torosos reddimus, sed non raro etiam adultos sanamus. Dum lac humanum adhiberi non potest recurrimus ad lac asininum lacti humano maxime analogum; in defectu hujus commendamus lac vacinum aut caprinum, propterea quod capra facilius domi servari, et lac recens haberri potest, nam tale recens mulsum aromate adhuc animali scatens efficacia majori gaudet; dosim accommodamus constitutioni individuali ventriculi, plurimi perferunt libram unam usque duas lactis. Non raro praeter potum commendamus etiam cibam lacteum; sunt tamen aegri, qui cibum lacteum solum haud ferunt, incommodis gastricis diversis afficiuntur, talibus cibi alii blandissime nutrientes proficiunt; ut juscule mucilaginosa et gelatinosa, quae parantur e decocto hordei decorticati, ex oryza, polygono fagopyro, e quibus in farinam contusis paratur etiam puls tenuis cum lacte vel jure carnium; utiliter adhibetur etiam farina leguminum e lentibus, pisis, fabis et e zea Mays parata; augetur virtus nutriendis juscularum per radicem salep, sago et farinam maranthae. Magis nutrientia sunt juscule gelatinosa animalia, commendanturque juscule e viperis et lacertis parata, quae tamen nos haud adhibemus, cum utilitatem peculiarem non praestant; sed commendamus juscule e testudinibus, limaeibus, quorum octo usque decem contusa cum libris duabus jusculti carneli coquuntur, et ad augendam virtutem nutritientem adduntur oryza et pedes vitulini. Cibum gratum et congruum constituit ciocolada, quae paratur e mucilagine seminum cacao vel lichenis islandici, vel radicis salep vel e principio extractivo carnis (osmazon). Incrementibus ventriculi viribus commendamus ova sorbillia, carnes

teneras, et coctas et assatas, cum vegetabilibus mixtas; admonentes semper aegros, ne e cibis etiam blandioribus statui suo maxime congruis dosi majori ingerant, quam vires ventriculi ferant. Pro potu maxime convenit aqua bona, saepe tamen utilis est etiam potus spirituosus, cerevisia bona, vinum antiquum bonum, quod in primis in tave nervosa dosi moderata sumtum systematis nervosi vitae organicae energiam languidiorem grata excitat. Praeter alimenta et potulenta commendamus aegro usum aeris purissimi, ut sollicite removeat causas cunctas, quae aarem corrumpere valent; in genere tabidis aer ruralis maxime congruus est. Chemici quidem inter aarem urbis et ruris, palustrem et montanum nullam differentiam detegere valent, sed observationes medicae ex influxu talis aeris in organismum vivum differentiam summam detegunt. Aer prius siccus et moderate calidus curandae tabi maxime faciet; ideo Angli tave et febri hectica nervosa affecti profiscuntur in Galliam, Italiam meridionalem, insulam Madeiram, et non raro per solam hanc mutationem jam reconvalescunt; aegros nostros mittimus ad hortos vicinos, ad montes Budenses, ad regiones pulchras, quibus Hungaria abundat, ubi plantae crescunt copiosae aromaticae, quae exhalationibus suis aromatico-balsamicis aarem reddunt roborantem, et ubi simul aqua est optima; semper praferimus regionem amoenam, ut aeger invitetur ad motus corporis suscipiendos, qui dummodo moderati sint, ut deambulatio, vectio in curru et navi, increcentibus viribus etiam motus in equo, et exercitia gymnastica utilitatem insignem praestant; semper tamen hi motus sine molestia, sine adstrictione, et cum sensu quodam voluptatis perfici debent; nam sensatio ingrata, molesta systematis nervosi energiam imminuit, et sic morbum iterum auget. Ideo commendamus aegris ea quae sensibus grata sunt, peregrinationes in loca amoena, odoramenta grata, sonos amoenos harmonicos, musicam et cantum; effectus enim horum stimulorum non est restrictus tantum ad organa sensuum exterorum, sed effectus salutaris extenditur in

totum organismum. Ita ratio habenda est etiam organi tactus latissime extensi; quidquid sensationem ingratam provocat, ut frigus externum, sollicite arceatur, calor moderatus gratus et salutaris procuretur. Commendamus quidem sensations gratas, sed simul admonenius aegros, ne sensum illecebris seducantur, ne vellicatio evadat major; tunc enim sistema nervosum potius iterum debilitatur, et sic tabes cum febri hectica increscit; tantum moderata iritatio systematis nervosi, et moderatum exercitium functionum ejus est aegro proficuum. Ideo pertinet ad eum hujus morbi etiam labor moderatus tam somaticus, quam psychicus, qui pro diversa conditione aegri seligitur ita, ut omnis adstrictio excessiva evitetur. Quies aegris hoc morbo affectis est summe necessaria; plurimis concedimus, ut post prandium quiescant, et somno brevi indulgeant, ut digestio melius perficiatur; in primis autem suademus, ut noctu dormiant, et ea removeant, quae quietem nocturnam turbare possent; neque tamen debet somnus ultra modum protrahi, ne aeger in sudorem debilitantem incidat, et tunc languidior surgat, quam fuisse ante decubitum; ideo durationem somni aegro proficiam per observationem definimus, et commendamus, ut aeger quotidie certo tempore excitetur, et lectum deserat.

Vitae regimen hoc usque laudatum, in tate nervosa summe necessarium, saepe non sufficit, nisi pharmaca adhibeantur simul roborantia et stimulantia; inter haec in Germania magnam laudem sibi meruerunt species a Lieber compositae, quae plus emolumenti attulerunt mercatoribus quam aegris; inter diversas herbas ingredientes praecipua est galeopsis grandiflora, virtute sua aromatico-amara non raro proficia, nihil tamen specifici in se continet. Saepe alia blande amara, vel amaro-aromatica, ut herba cardui benedicti, absinthii, centaurei minoris, tussilaginis farfarae, marrubii albi, millefolii, melissae, menthae, salviae, helianthemi, rudicis gentianae, acori, ligni quassiae etc. majorem efficaciam habent. Saepe virtu-

te robore et nutritore simul nunc nominata superat *Lichen islandicus*, principio amaro et mucilaginoso scatens.

Non raro accidit, ut sub usu remediorum enumeratorum emendatio desiderata hanc sequatur; aeger febris incrementum, calores, inquietudinesque majores experitur, quia debilitate licet praesente irritabilitas morbose exaltata praecipuum momentum morbi constituit; ad eam imminuendam saepe curam tabis nervosae inchoamus cum liquore acido Halleri, cuius guttas triginta in decocti emollientis libra una pro nycthemero praescribimus, usquedum symptomata hypererethisiae imminuta fuerint, quod subinde intra unam alteram-ve septimanam, subinde tantum intra plures menses obtinetur. In tali casu utiles sunt etiam acidulae mites, alcalinae dictae, celebritatemque sibi maximam meruerunt acidulae ad Selters, in Bohemia ad Bilin, in Styria Johannis, in Hungaria plures, in primis eao ad Szalatnya in Comitatu Hontensi.

Non raro sub usu remediorum indicorum mitigantur tantum symptomata hypercinesiae, sed emaciatio et tabes continuat ob debilitatem, in gradu eminenti evolutam, tunc remedia roborantia tonica in auxilium vocamus; et quidem praeparata martialis, ut sulfatem ferri artefactum cum extracto myrrae aquoso, vel acidulas martiales, inter quas observatores Germani maxime celebrant Spadanas et Pyrmontanas, quibus virtutem similem habent Hungaricae complures, in primis Bartfenses, Lublovienses, Buziásenses, in Transylvania Rodnaenses, Dombhátenses, etc. Non paucis aegris majorem utilitatem praestant praeparata corticis cinchonae, cuius jam infusum frigidum, jam decoctum solum, vel cum lichene islandico combinatum, cum lacte, vel praeparata ejus salina, ut sulfatem, muriatem vel phosphatem chinini praescribimus. Subinde in febri hectica nervosa ad gradum majorem erecta recurrere debemus ad valerianam, arnicam, liquores aethereos, camphoram, castoreum, ammoniam et moschum, quae tamen pharmaca nisi summa cum cautela exhibita fuerint, plus damni adferunt.

Subinde etiam narcotica, ut hyoscyamus, cicutae, beladonna, digitalis purpurea, aqua laurocerasi et opium indicata sunt, dum nempe aeger vexatur doloribus, spasmis vel per vigiliis, quae tamen remedia minus caute adhibita iterum nocent, debilitatis phaenomena augent.

Non raro ob debilitatem remedia etiam externa roboranria utilia sunt, ut lotiones corporis cum vino tepido, vel cum cremato aqua diluto, vel cum spiritu quodam aromatico, vel etiam balnea blande roborantia.

Praeter tabem et febrim heeticam inflammatoriam et nervosam, quarum naturam et therapiam nunc investigavimus, datur et alia tabes freqnens, cuius causa proxima est in statu abnormi organorum digestionis et chylificationis, ut ventriculi, tubi intestinalis, glandularum mesaraicarum et viscerum aliorum vicinorum, vocaturque in genere atrophia, qualis non raro observatur in adultis, longe frequentius tamen in infantibus.

ATROPHIA INFANTUM.

§. 131.

Atrophia infantum vocatur etiam atrophia glandularis seu mesenterica seu serafulosa, tabes abdominalis, pedatrophia; frequentissime evolvitur post lactationem intra primum et septimum annum aetatis, raro tardius, sed non ita raro citius, subinde statim post nativitatem et tunc celeriter decurrit; morbus tardius evolutus decursum habet lentum chronicum, atque tunc distinguunt stadia morbi tria:

In stadio morbi primo infantes antea jucundi, tranquilli, turgore et colore laeto instructi incipiunt evadere morosi, inquieti, frequenter flent et ejulant, somnum inquietum habent, appetitum cibi sub exordio minorem, sub morbi incremento nimium ita, ut lactantes continuo

überibus adhaerere velint; ablactati continuo cibos desiderant, in primis panem et cibos farinaceos; licet appetitus ita exaltatus sit; digestio tamen est imperfecta; saepe laborant gastralgia, enteralgia, torminibus, quae se manifestant per ejulatum, contorsionem corporis anteriora versus, attractione crurum versus abdomen; halitus oris et ructus sunt acidi, saepe corripiuntur vomiti; evacuantque jam ingesta indigesta, jam mucum acidum; alvus sub exordio morbi est obstipa, sub morbi ulteriori incremento diarrhoica, evacuanturque non raro ingesta alimenta parum mutata, vel mucus copiosus, subinde bilis et vermes. Licet cibum copiosum ingerant infantes, tamen quotidie magis emaciantur, solem abdomeni intumescit, tensum et durum tangitur; excurritque stadium hocce per plures menses; subinde causis excitantibus remotis disparet, secus increscit et evolvitur.

Stadium secundum, sub quo accedit febris hectica, initio symptomatibus mitioribus, dein intensioribus se manifestans; tunc emaciatio increscit, adeps consumitur, cutis evadit flaccida rugosa, in primis in facie, quae senilis redditur; unguen cutaneum in glandulis sebaceis, in primis in dorso sitis induratur ita, ut dum pressione exprimitur, similitudinem quandam habeat cum vermiculo parvo, ideo appellantur comedones, quia putabant hos vermiculos esse causam consumtionis nimiae. Saepe sub hoc stadio effor- mantur inflammations in tubo intestinali, inde dolores intensi, ejulatus continui, pressionem abdominis nullam ferunt; alvus est pertinaciter obstipa, vel evacuatio peragitur inter dolores, subinde foecibus et sanguis et materia puriformis immiscentur; non raro tunc etiam vomiti torqueantur; saepe inflammatio in primis occupat glandulas mesaraicas, quae tumidae et durae non tantum tactu, sed etiam visu distingui possunt; subinde inflammatio comprehendit etiam alia viscera, ut hepar; in aegris dispositione phthisica praeditis comparet tussis molesta, et evoluntur symptomata phthisis pulmonalis tuberculosae; in nonnullis aegris comparet meningitis, quae transit in secretionem

morbosam seri, in hydrocephalum. Hoc stadium subinde tantum per aliquot septimanas durat, saepe tamen inflammations evadunt chronicæ, et tunc per plutes menses, ex-cruciant aegrum; tandem sequitur

Stadium tertium, nempe colliquationis, sub quo corpore nimium emaciato febris depascens evadit continua; accedunt sudor colliquativus, diarrhoea colliquativa, aphthæ in cavō oris, decubitus transeūntes in ex-ulcerationem, subinde ecchymomata, petechiae et hydrops; ita aeger exhaustus incidit in soporem, et exspirat.

E. Hoffmann, Diss. de atrophia. Halae. 1702.

Alberti, Diss. de atrophia infantum. Halae. 1729.

Chüden, Diss. de modo præservandi et curandi atrophiam infantum. Göttingae. 1746.

G. M. Gattenhof, Programma de atrophia infantili. Heidelbergae. 1775.

C. G. Gruner, Diss. de pedatrophia. Jenae. 1702.

Baumé, Traité d'amaigrissement des enfans. Paris. 1806.

§. 132.

Atrophia quidem infantum e symptomatibus successive evolutis et inter se combinatis facile cognosci potest; ut tamen therapia rationalis construi possit, ad naturam morbi individualē definiendam etiam causas ejus exquirere debemus. Requiritur ad evolutionem hujus morbi dispositio peculiaris; nam videmus infantes non paucos potentissimis diversis expositos sanitatem suam conservare, dum alii sub iisdem adjunctis facile in atrophiam incident; dispositio haec non raro congenita est, dum parentes infirmi, scrofulosi, rhachitici, syphilitici, senectute vel per alias causas enervati fuere; dum mater tempore graviditatis morbis gravibus, animi affectibus tristibus vexata fuit; non raro tunc infantes statim post nativitatem exhibent habitum debilem macilentum, vix sugere, vix ejulare valent, semper dormiunt, frigent, et tales, nisi cura adhibeatur summa, curriculum vitae cito absolvunt. Sed etiam infantes post nativitatem apparenter robusti, omnibus signis pro vita longa

praediti, saepe incident in atrophiam, dum exponuntur influxui potentiarum nocentium, quae initio tantum prædisponunt organismum, dein morbam ipsum provocant. Tales potentiae nocentes sunt alimenta et potalenta, quae etiamsi bona, quantitate excessiva ingesta ventriculum tenerum infantis debilitando ad generandam atrophiam conferunt; magis adhuc nocent qualitatibus noxiis praedita, ita lac nutricis per alimenta et' potulenta minus congrua, per animi affectus vehementes, per fluxum catameniale, per morbos diversos evolutos, per graviditatem, ita immunitatur, ut pro nutritione sit minus idoneum, et infans sub lactatione continua manifeste emaciatur.

Non raro causa atrophiae est denegatum lac maternum, denegatum lac nutricis sanae, non raro etiam denegata alia alimenta congrua ita, ut miseri infantes ob famem in morbum hunc atrocem incident, et in urbibus populosis omni anno multi sic enecentur. Non raro nocent alia alimenta, ut pultes diversae male paratae, caules, carnes, legumina, in primis autem solanum tuberosum, qui cibi subinde infantibus in os intraduntur. Pro potu exhibent teneris infantibus cerevisiam, vinum, crematum, coquam malam, quae potulenta et volumine suo, et partibus suis constitutivis irritando nocent. Non raro pharmaca infantibus teneris exhibita, ut emetica, purgantia, narcotica, decoctum capitum papaveris, tinctura opii, theriaca Veneta concurredunt ad atrophiam generandam. Nec tantum causæ inmediate in tubum alimentarem agentes, sed etiam aliae reliquum organismum affientes, ut immunities cutis, dum infantes in excrementis suis relinquuntur, vestimenta eorum non mutantur, aer diverso modo corruptus, defectus motus corporis, morbi alii ut febres in primis intermittentes diutius durantes, diarrhoea, dysenteria, cholera, exanthemata acuta febrilia atrophiam infantum excitare valent; morbus que evolutus raro est simplex, frequentissime complicatus cum scrofulis, non raro cum rhachitide, accidentaliter etiam cum aliis morbis.

§. 133.

Pro diversa intensitate et complicatione diversa est prognosis atrophiae; morbus simplex in stadio primo constitutus non raro per solam autoeratiam naturae feliciter sanatur; postquam symptomata stadii secundi evoluta sunt cum signis febris, hecticeae plurimum cum inflammatione visceris ejusdem abdominalis, subinde pectoralis vel cerebralis, tunc per autoeratiam naturae solam vix sanatur aeger, sed morbus increscit et in stadium colliquationis deducitur; non raro symptomatica phthisis pulmonalis vel hydrocephali accedunt, et aeger post multos eructatus extinguitur; et in cadavere reperiuntur desorganisationes diversae pro diversa sede inflammationum praegressarum. Per therapiam tamen rationalem, nisi morbus attigerit stadium ultimum, in plurimis casibus feliciter sanari potest.

Therapiam inchoamus cum remotione sollicita causarum excitantium; ubi fieri potest commendamus, ut mater sanitatem quam utero gessit ipsa lactet; ubi hoc praestari non potest, nutrix sana seligatur; ubi nec talis haberi potest, necessitas cogit ad lac animale adhibendum, vel vaccinum, vel caprinum. Infantes robusti lacte solo animali educari possunt, dummodo attentio necessaria adhibetur; sed infantes debiles in atrophiam eminenter dispositi sub defectu lactis humani incident in atrophiam nulla arte tollendam, nisi lacte nutricis sanae, quo exhibito sine ullo alio pharmaco iterum restaurantur et sanantur. Pro libus jam ablactatis, aut quibus lac maternum vel nutricis solum jam pro nutrimento haud sufficit, commendamus cibum facilis digestonis; blande nutrientem, nec irritantem, nec in sicciorum imprimis acidam prontum; plurimis maxime congruens est panis bis coctus, qui in pulverem contunditur, coquitur cum aqua et diluitur lacte; tardius in vicem aquae et laetis adhibetur juseulum carnis non salitum, potius saccharo conditum; haec puls infantibus grata cibaria largitur maxime salutarem usque dum dentium eruptio subsequuta fuit; tunc exhibemus juscula magis concentrata,

cibos cum lacte paratos, cum hordeo decorticato, oryza, polygono fagopyro, cum vitello ovi, cibos sarinaceos; successive concedimus carnes teneras, fructus coctos, clera, pro potu commendamus aquam bonam, debilibus dosi parya cerevisiam vel vinum, bonum aqua dilutum. Cibum valde salutarem infantibus atrophicis jam adultioribus largitur pulvis glandium quercus tostarum, qui forma coffeeae cum lacte initio semel, dein quotidie bis exhibetur. Infantibus multum siccitibus in vicem aquae solius, quae facile diarrhoeam inducit, commendamus decoctum oryzae leniter tostae, vel decoctum salep, vel decoctum panis bis cocti.

Causa altera excitans et sustentans atrophiam infantilis est aer impurus, corruptus; ideo eos qui curam infantum gerunt, semper admonemus ad munditatem omnem observandam, ad corruptionem aeris omnimode impediendam; propterea commendamus habitationem siccam, ventilationem aeris in cubili nullo die intermittendam, et remotionem eorum, quae aerem humidum reddere possent. Quamprimum tempus admittit, infantes et pueri atrophia affecti in aerem purum siccum deduci, et ad motus corporis diversos perficiendos omnimode provocari debent; peculiaris attentio convertenda est ad entem mundandam, cuius functio in hoc morbo est valde prostrata; ideo quotidie decocto furfurum cum sapone abluatur; et si fieri non potest quotidie, saltem bis ter-ve omni septimana balneo tepido ex decocto furfuram cum sapone imponatur, spongiae ope abstergatur, linteo dein siccatur; et panno asperiori frictio moderata instituatur; in debilioribus valde proficia est lotio cum vino tepido vel cum spiritu vini aqua diluto; per tales lotiones ac balnea symptoma unum molestum nempe comedones efficacissime tolluntur.

Remedia diaetetica tantae sunt efficaciae, ut per illa sola frequentissime morbus sanetur; ideo tam per Mesmeri quam per Hahnemanni discipulos zelosos saepe sine ullo pharmaco cura morbi peracta est. Nec tamen omnibus sufficit haec cura diaetetica, non pauci aegri ea sola

adhibita moriuntur, quorum multi concurrente simul therapia pharmaceutica rationali salvari possunt.

Exordium curae frequentissime facimus cum evacuacione saburrae; nam morbo vel ad exiguum gradum enecto negri omnes multum ingerunt, saburra in ventriculo generatur; ideo adest vomitatio, iuno et vomitus; propterea emeticum saepè est summe necessarium. Frequentius tamen tubus intestinalis detegitur repletus saburra, ideo necessitas alvum purgantia exhibendi est frequentior, et quidem maxime indicatum est rheum, quod in pulvere praescribimus; infantibus teneris granum unum, adultioribus pueris grana duo usque quatuor, semel vel bis per diem, ut alvi evacuationes tantum binae sequantur; evitamus enim diarrhoeam facile debilitatem, ideo abstinemus a purgantibus salinis. Si atrophia connexa est cum helminthiasi, quod rarum non est, tunc pulveri rhei addimus calonielis granum semis. Tubo intestinali torpidiore existente commendant auctores jalappam cum calonela, remedium eximum, sed cante adhibendum, nam principio suo resinoso magis irritat et facile inflammationem, in quam tubus intestinalis et glandulae mesentericae sub hoc morbo pronae sunt, provocat.

Post usum evacuantium semper insignis emendatio observatur; diu tamen continuari non debent, secus morbi symptomata augent; radicalis cura morbi perficitur per media roborantia; saepe nec sunt necessaria emetica vel purgantia, aeger utique vomitu vel diarrhoea vel plane emeto-catharsi laborat; tunc manifeste adest status irritatus ventriculi et tubi intestinalis cum secrezione morbesa, cum saburra ut plurimum acida, et tunc maxime indicatum est, hos status morbosos tollere; quem in finem initio exhibemus emollientia, dein absorbentia dosi parva, ut pulverem lapidum cancerorum, salem tartari, bicarbonatem sodae, carbonatem magnesiae vel magnesiam ustam. Symptomatis gastricis molestis remotis dirigimus curam contra debilitatem in toto organismo inprimis tamen in tubo alimentari molestam, ideo commendamus initio extracti

taraxaci, vel cardui benedicti, vel fumariae, vel trifolii
 fibrini, vel centaurei minoris grana tria usque scrupulum
 semis, in infusi florum chamomillae vulgaris vel herbae
 melissae vel menthae crispa vel radicis acori unciis tri-
 bus, ut omni. bihorio duobus cochlearibus coffeeaceis exhi-
 beatur. His praemissis Hufeland maxime commendat
 terram ponderosam salitam; utilitatem tamen longe majo-
 rem praestat pulvis anti-atrophicus vel anti-hecticus a P.
 Franknet post illum a Gölis maxime laudatus, com-
 positus e baccis lauri, nuce moschata et pulvere cornu cer-
 vi. Baccae lauri imponuntur liboni panis, qui coquuntur, ut
 per coctionem acrimonia extrahatur; postea baccae in pul-
 verem conteruntur, et miscentur cum quantitate anatica
 pulveris nucis moschatae et pulveris cornu cervi. Ex hoc
 mixto praescribuntur pulveris anti-atrophicci drachmae tres,
 pulveris radicis liquiritiae drachmae sex, exacte mixta im-
 ponuntur scatulae, et mane et vesperi exhibetur apice cultri.
 Remedium hoc blande aromatico-amarum in multis casibus
 proficuum subinde effectu salutari destituitur. Recentissimo
 contra atrophiam infantilem maxime laudatur jodina, quae
 tamen, nisi cantissime exhibeatur, facile nocet, ideo per
 nos in hoc morbo rarissime praescribitur, eo minus quod
 efficaciam magnam experti sumus a praeparatis ferri; et qui-
 dem flores salis ammoniaci martiales ad granum semis cum
 elaeo-saccharo foeniculi vel macis saepo scopo satisfaci-
 unt, Angli magis laudant carbonatem ferri, Autenrieth
 muriatem ferri. In gradu debilitatis majori sub stadio mor-
 bi secundo symptomatibus febris hecticae evolutis non raro
 etiam usus corticis cinchonae utilis est. Meminisse tamen
 oportet, sub stadio morbi secundo non raro comparere in-
 flammationes topicas, in primis in tubo alimentari, in glan-
 dulis mesentericis, subinde etiam in aliis partibus, atque
 tunc subinde hirudinum paucarum ope sanguinis evacuatio
 topica moderata necessaria evadit, major sanguinis evacu-
 atio debilitatem auget, et mortem accelerat. Resolvuntur
 haec inflammationes stimulantibus omnibus remotis, initio
 exhibendo interne emollientia, externe applicando cata-

plasmata et clysmata emollientia, quibus haud sufficientibus recurrimus ad narcotica cum summa attentione, ut hyoscyamum, digitalem purpuream, in primis autem cicutam, quam diarrhoea haud contra-indicante jungimus cum calomela. Symptomatibus phlogosis nedum cedentibus opponimus aquam laurocerasi, subinde opium cum calomela; symptomatibus febris asthenicae majori in gradu comparentibus recurrimus ad camphoram, imo subinde ad' moschum.

Postquam per therapiam laudatam morbi symptomata remota fuerunt, remanet saepe debilitas, ad quam tollendum plurimum conferunt vitae regimen roborans et balnea adstringentia roborantia, quae parantur e ramis et foliis salicium vel e globulis martialibus vel e herbis aromaticis, addimusque subinde vinum. In infantibus teneris ad nutritionem supplendam maxime utilia sunt balnea gelatinosa, quae parantur ex glutine, vel ex intestinis bene mundatis, pedibus vitulinis, vel carnibus coctis.

MARASMUS SENILIS.

§. 134.

Marasmus senilis est illa species tabis, quae sine morbo manifesto tantum per senectutem evolvitur; uti nempe omnia corpora viva organica, ita etiam corpus humanum stadia sui incrementi, consistentiae, et decrementi habet, quae non absolvuntur apud omnes eodem tempore, sed variant pro diversa constitutione individuali et pro diversitate influxus externi, quibus homo expositus est. Plurimi dum annum aetatis septuagesimum attigerunt, jam evadunt senes decrepiti, per emaciationem corporis magnam, et functionum vitae omnium languorem semper increasingentem exhibent symptomata marasmi, pauciores tantum ultra annum aetatis octuagesimum, et nonagesimum vigorem retinent, rarissimi annum aetatis centesimum at-

tingunt. Tabes necessario evoluta ex vita ipsius decursu vocatur *marasmus naturalis seu genuinus*. Tabes vero ei similis citius evoluta per status morbosos diversos in organismo dicitur *marasmus senilis spurius*, talisque observatur etiam ante annum aetatis quinquagesimum; frequentissime inducitur per vitia organica organorum digestionis, chylificationis, glandularum mesentericarum, vasorum lymphaticorum et cordis; subindetamen, ut exemplum adducit Swieten mulieris quadriginta annorum, cum omnibus symptomatibus marasmi existetiae, in cuius cadavere attente investigato nullum vitium organicum detegi poterat, tantum vitalitas citius consumta est.

Dum marasmus evolvitur, observatur decrementum viuum successivum, in primis decrescit nutritio corporis; vasa multa capillaria, ut investigationes anatomicae docent, obstruuntur, rami etiam vasorum, in primis arteriarum minus pervii redduntur, paries eorum evadunt rigidiores, imo saepe ossificantur, ideo circulatio est lentior, pulsus tardior, calor animalis minor; ob mutatam conditionem organorum sanguificationis mutatur et sanguis, qui in genere evadit spissior; ob nutritionem impeditam partes omnes evadunt macilentae, adeps absorptus non renovatur, turgor vitalis imminuit; propterea cutis senum evadit rugosa, capilli ob nutritionem impeditam initio canescunt, dein excidunt, prout etiam dentes jam attriti, et saepe carie consumti; ossa omnia redduntur tenuiora et magis fragilia, musculi et tendines evadunt rigidiores; ideo membra senum difficulter flectuntur, motus corporis difficilior redditur; cartilagine intervertebrales tenuiores et duros fiunt, ideo spina dorsi incurvatur, et statura senum minor redditur; secretiones omnes evadunt parciores, ideo cutis senum est sicca, alvus obstipa, urina parca, in primis autem secretio succi genitalis penitus cessat; pauci tantum sunt senes, qui de potentia virili gloriantur. In casibus rassisimis mulieres anno aetatis sexagesimo conceperunt, et in casibus non minus raris energia vitae organicae in se-

nibus ita exaltata fuit, ut dentes novi progrescerent, capillis canis excentibus alii laete colorati succrescerent. Cum reliquis organis pares subit mutationes etiam sistema nervosum; ideo in senibus decrescente irritabilitate partes redduntur torpidiores, decrescente sensibilitate sensus externi in primis visus, auditus et olfactus redduntur obtusiores, diutissime remanet sensus gustus; non pauci senes omnibus aliis solatiis destituti adhuc gustu delectantur, et ex cibis ac potibus maximas delicias habent, nonnullorum ventriculus durior alimentorum copiam magnam digerit, donec marasmo incremente appetitus etiam cibi immunitur; comedunt quidem, sed tantum ob consuetudinem. Non pauci senectute licet incremente cum signis marasmi manifestis exercitium facultatum intellectualium energicum et liberum conservant, in primis judicio pollent eximio, non jam per affectus turbato; plures tamen senes dum in marassum incident, debilitatem magnam manifestant in exercitio facultatum intellectualium, conceptus difficerter formant, memoria labefactatur, in primis de objectis recentioribus, diu praegressorum adhuc melius meminerunt, ideo laudant senes antiqua bona tempora; incremente marasmo accedit debilitas judicii, ratiocinii, et senes iterum in statum puerilem delabuntur. Cum debilitate hac incremente comparet propensio major in somnum ita, ut non tantum aliorum sermonem excipiendo, sed etiam inter loquaciam propriam obdormiant, donec tandem in somnum aeternum incident. Mors talis ex marasmo senili genuino est pacata, somno vere similis sed rarer, nam non raro etiam senes accelerant mortem suam; signis jam marasmi praesentibus potentiae nocentes effectus exerunt graviores, ut errores in vitae regimine commissi, alimenta et potulenta copiose ingesta, refrigerium, animi affectus vehementes, quibus etiam senes jam tabidi non raro afficiuntur; ita ira, ambitio, spes delusa, non paucos in tumbam praecipitant, ita tristitia si priventur opibus magno labore congestis, si amicos, proles, uxorem, quas tenero amore complectebantur amittant, ipsimet eos brevi sequuntur.

S. Farr, Aphorismi de marasmo ex summis medicis collecti. Bristol. 1773.

Seiler, Specimen anatomiae corporis humani senilis. Erlangen. gae. 1800.

C. A. Philites, Diss. de decremente, altera hominum aetatis periodo seu de marasmo senili in specie. Halae. 1808.

A. M. Drechsler, Atrophiae infantum et marasmi senilis expositio atque comparatio. Lipsiae. 1810.

§. 135.

Prognosis marasmi senilis est valde tristis; exitum enim marasmi talis genuini avertere haud valemus, sed exitum marasmi spurii per diversas potentias nocentes provocati differre possumus; nam praesentibus etiam signis marasmi vita protrahi potest, dummodo observantur principia hygieae rationalis, quae eleganter exposuit Hufeland in suo opere classico de macrobiotica.

Consulimus itaque senibus, ut causas cunctas marasmum augere valentes, adstrictionem omnem viribus corporis et mentis majorem vitent, nec tamen commendamus otium, nam motus corporis moderatus in aere libero nullo die intermittendus, labor moderatus corporis et mentis conservant energiam vitae, et senectutem prolongant; observatio ubique locorum docet, qui vitam activam cum quiete et otio comutant, citius in quietem aeternam migrant; debet tamen exercitium virium moderatum esse, propterea senibus citius decumbendum est, et mane etiam diutius quam juvenes solebant in lecto manendum, ut plurimum enim horis matutinis post somnum propumpit sudor moderatus, cuius suppressio senibus noxia foret. Vitare debent senes occasiones omnes, quae animi affectus excitare valent, ipsum gaudium magnum apoplexiam non raro induxit; adhuc frequentius nocent ira, terror et tristitia; nocent evacuationes omnes nimiae, ut sudor, salivatio, diarrhoea, haemorrhagia, in primis autem succi genitalis evanescatio, quam nonnullum senes lascivi variis artibus provocare student.

Cibi senum debent esse blande nutrientes, viribus ventriculi accommodi, ut sunt cibi lactei, carnes tenerae, jucunda in primis concentrata, pisces non pingues, vitellum ovi, etc. Pro potu convenit praeter aquam vinum bonum antiquum, quod non sine ratione lac senum vocatur. Calor moderatus semper vestitu idoneo conservetur, et vita in societate juniorum sanorum transacta languorem senilem imminuit. Praeter vitae regimen congruum subinde etiam pharmaca necessaria sunt, balnea tepida cum decocto furfurum, lacte, herbis aromaticis cum vino, thermæ blande roborantes senibus valde proficiue sunt, ita etiam frictio cutis universæ quotidie suscipienda, in primis autem mandibiles magna, ideo vestitus linei saepe mutari debent. Dum senes alyo obstopa laborant purgans medicina salina facile debilitatem majorem inducens haud suadenda, sed potius oleum blandum lini, olivarni vel amygdalarum dulcijum vel ricini, quibus haud sufficientibus maxime convenit rheum cum exigua quantitate calomelis et aloë, nunquam tamen usus purgantium frequens institui debet. Dum symptomata debilitatis organorum digestionis et chylificationis se manifestant, tunc commendamus amara roborantia: lignum quassiae, lichenem islandicum, radicem acori, inulae, subinde corticem cinchonae dosi parva. Diversa elixiria ac balsama vitae olim laudata inutilia, imo plurimis noxia sunt.

PHTHISIS PULMONALIS.

§. 136.

Phtisis in genero vocantur illae cachexiae, in quibus macies producitur et sustentatur per suppurationem; inter has frequentissime occurrit *phtisis pulmonalis*, cuius symptomata praecipua sunt: tussis jam sieca,

jam sputis et quidem diversis, jam tantum seroso-pitaitosis, jam puriformibus, jam albo-opacis, jam flavescentibus, jam virescentibus, jam ichorosis cinereis foetidis, jam cruentis connexa, qua tussi necitur respiratio plus minus-ve impedita, non raro dolorifica, emaciatio corporis semper increscens cum febri hectica, quae tandem transit in stadium colliquationis. Ex symptomatibus his phthisim quidem praesentem facile cognoscimus, diagnosim tamen exactam morbi, quae naturam ejus individualem definit, saepe difficile est construere, quia natura phthisis pulmonalis est diversa, propterea etiam ab auctoribus species ejus complures describuntur; ita Portal describit 1mo P. congenitam et scrofulosam, 2do plethoricam, 3to ab exanthematibus et metastasi ortam, 4to catarrhalem, 5to post inflammationem evolutam, 6to per asthma inductam, 7mo arthriticam et rheumaticam, 8vo calculosam, 9no scorbuticam, 10mo venereum, 11mo per febres excitatam, 12mo nervosam, 13mo puerperalem, 14mo post contusiones et vulnera pectoris exortam, 15mo per morbos hepatis inductam.

Bayle ex disquisitionibus anatomico-pathologiciis in nongentis cadaveribus phthisicorum institutis distinguit: 1mo tuberculosam, quam invenit 624 vicibus, 2do granulosam, quam invenit 183 vicibus, 3to melanosam, quam invenit 72 vicibus, 4to ulcerosam, quam invenit 14 vicibus, 5to calculosam, quam invenit 4 vicibus, et carcinomaticam.

J. Frank enumerat ut species: 1mo P. scrofulosam, 2do arthriticam, 3to carcinomaticam, 4to haemorrhoidalem, 5to scorbuticam, 6to syphiliticam, 7mo metastaticam, 8vo a vomica.

Engelhard dividit phthisim pulmonalem in acutam et chronicam, acutae statuit tres species: 1mo p. a pneumonorrhagia, 2do a peripneumonia acuta, 3to a catarro pulmonum acuto. Chronicæ etiam distinguit tres species: 1mo p. tuberculosa, 2do pituitosa, 3to calculosa.

Recentiores non pauci post Laënnec et Louis tantum unicam speciem phthisis pulmonalis admittunt, nempe tuberosam. Observatores tamen plurimi describunt quatuor species phthisis pulmonalis, nempe: nervosam, catarrhosam, apostematicam et tuberosam.

- R. Morton, *Phthisiologia seu exercitationes de phthisi.* Londoni. 1680.
- *Abhandlung von der Schwindsucht.* Helmstädt. 1780.
- J. Raulin, *Traité de la phthisie pulmonaire.* Paris. 1782, 1784.
- *Abhandlung von der Lungensucht.* Jena. 1784, 1787.
- J. Reid, *an essay on the nature and cure of the phthisis pulmonalis.* London. 1782, 1785.
- *Über die Natur und Behandlung der Lungensucht.* Offenbach. 1787.
- M. Salvadot, *del morbo tisico.* Trenta. 1787.
- *Über die Schwindsucht.* Leipzig. 1791.
- M. Ryan, *an enquiry into the nature, causes and cure of the consumption of the lungs.* London. 1787, 1816.
- B. Canella, *Osservazioni e considerazioni intorno le caggioni, la natura e la cura della pulmonare tissichezza.* Trenta. 1789.
- A. Portal, *Observations sur la nature et le traitement de la phthisie pulmonaire,* Paris. 1792, 1809.
- *Beobachtungen über die Natur und Behandlung der Lungenschwindsucht.* Hannover. 1799.
- J. B. T. Baumes, *Traité de la phthisie pulmonaire.* Paris. 1798, 1805.
- J. Beddoes, *essay on the causes, early signs and prevention of pulmonary consumption.* London. 1799.
- *Über die Ursachen, frühen Zeichen und Verhütung der Lungensucht.* Halberstadt. 1802.
- J. J. Busch, *Recherches sur la nature et le traitement de la phthisie pulmonaire.* Strasbourg. 1800.
- L. Storr, *über die Natur und Heilung der Lungenschwindsucht.* Stuttgart. 1809.
- G. L. Bayle, *Recherches sur la phthisie pulmonaire.* Paris. 1810.
- A. Duncan, *Observations on the distinguishing symptoms of three different species of pulmonary consumption, the ca-*

tarrhal, the apostematous and the tuberculous. Edinburgh.
1814, 1816.

D u n c a n , Beobachtungen über die unterscheidenden Symptome
der drei Hauptgattungen der Lungenschwindsucht. Leipzig.
1817.

J. A. W a l t h e r , über das Wesen der phthisischen Constitution,
und der Phthisis in ihren verschiedenen Modisicazionen. Leipzig.
1819.

H. H. S o u t h e y , Observations on pulmonary consumption. London.
1814.

— Beobachtungen über die Lungenschwindsucht, Leipzig. 1820.

J. F. E n g e l h a r d , die Lungensucht in ihren verschiedenen
Formen und Zeiträumen. Aarau. 1823.

§. 137.

P h t h i s i s p u l m o n a l i s n e r v o s a dicitur illa, in
qua aeger afficitur tussi saepe violenta, qua sputa paucia,
tenuia; mucosa, subinde aliquantum sanguine mixta ejicit,
simil emaciatur nimium, et exhibit omnia symptomata ta-
bis nervosae; morbus sibi relictus transit in stadium col-
liquationis, morte terminandum, atque in cadavere vitium
nullum pulmonum detegitur, ita ut haec plithisis constituant
tantum symptoma ipsius tabis nervosae. Exoritur in debili-
bus, teneris, temperamento nervoso praeditis, in puellis
chloroticis, post evacuationes nimias, in primis succi genita-
lis, post animi affectus tristes, et si morbus est simplex,
non connexus cum vitio quodam organico, tunc saepe felici-
citer sanatur secundum principia contra tabem nervosam
laudata. Subinde per potentias nocentes producitur inflam-
matio aliqua, quae per hirudines, et per calomelam remo-
veri debet; sanguinis evacuatio summa cum cautela adhi-
benda est, debilitatem enim ita auget, ut non raro dein
omnia artis conamina inania reddantur. Ita etiam evacuantia
gastrica in haec specie phthisis sunt rarissime indicata; sub-
inde aeger, sensu debilitatis permotus, ingerit alimenta
majori quantitate, et sic enascitur saburra, quae jam per
emeticum, jam per purgans caute evacuari debet. In genere

sola methodus roborans cum cautela omni contra tabem nervosam commendata est in hac specie phthisis utilis.

G. G. Richter, Prolusio academica, exhibens judicium de phthisi nervosa. Göttingae. 1744.

F. Seib, Diss. de phthisi nervosa. Göttingae. 1773.

§. 138.

Phthisis pulmonalis catarrhosa vocatur etiam mucosa, seu pituitosa, quia nexa est cum secretione muci larga in trachea et bronchiis, cui se dein adjungit febris hectica cum emaciatione corporis. Incipit ut catarrhus tracheo-bronchialis simplex excitatus per refrigerium, qui dein excurrit per menses, imo subinde annos, aegrum affligit tussi molesta, qua sputa copiosa mucosa evacuantur, ideo etiam vocatur a Swedia uer *blennorrhœa pulmonalis*. Speciem hanc phthisis distinguimus ab aliis, quod non exoritur post inflammationem, ut phthisis apostematica; quod sine dispositione phthisica, sine prodromis phthisis tuberculosa se manifestat tantum ut catarrhus tracheo-bronchialis chronicus, quin dolor fixus in parte aliqua pectoris, vel inspiratio profundior impedita, vel decubitus in alterutrum latus impossibilis, inflammationem praesentem, vel tubercula indicent, quorum absentiam etiam criteria per Auenbrugger et Laënnec proposita confirmant. Prognosis phthisis catarrhosae est ceteris laetissima, et plurimæ historiae de curis felicibus phthisis pulmonalis relatae concernunt phthisium catarrhalem, in qua eximiā medicinam constitūunt sal ammoniacus et tartarus emeticus; saepè effectum magis salutarem praestant flores sulfuris, hepar sulfuris, sulfur auratus antimonii, narcotica, herbæ diversæ pectorales dictæ, balsamica et alia; quae contra catarhum chronicum laudavimus, et quae secundum principia therapeutica ibidem exposita adhibemus. Si phthisis haec neglecta vel male curata fuerit, tunc etiam transit in stadium colliquationis, et aegrum enecat, qui exitus eo facilius subsequitur, quod phthisis catarrhosa non

raro est complicata cum phthisi apostematica, vel tubercu-
losa.

Murray, *Programma de phthisi pituitosa*. Göttingae. 1776.

E. Wichelhäuser, über die Erkenntniß, Verhütung und
Heilung der schleimigen Lungensucht. Mainz. 1806.

§. 139,

Phthisis pulmonalis apostematica dicitur illa, quae generatur et sustentatur per apostema, seu vomicam in pulmone efformatam. Stadium ejus primum constituit semper inflammatio, peripneumonia, vel pleuroperipneumonia acuta, frequentius chronicā, potestque haec species phthisis in omni homine, omni aetate, omni sexu, sine ullo habitu phthisico per influxus potentiarum phlegosim generare valentium induci, dum inflammatio in pulmonibus evoluta haud resolvitur, sed per suppurationem apostema seu vomica efformatur; quod stadium morbi secundum diversa symptomata provocat, pro diversa constitutione individuali aegri, pro magnitudine et multitudine vomicarum; ad quarum praesentiam concludimus cum probabilitate, quod inflammatio praegressa fuit pulmonis, quin resolutio locum habuerit; quod dolor prius scindens, pungens, ardens nutatus est in obtusum pulsatorium; quod aeger persentiscit horripilationem e parte pectoris incipientem, et transeuntem in febriculam; non raro symptomata febris disparent, aeger emendatur, sanitatem apparenter bonam habet, tantum experitur in parte aliqua pectoris sensum ponderis, respiratio est plus minusve impedita, tussi jam pauciori jam frequenter affligitur, inprimis dum motum corporis majorem suscipit, altiora scandit, vocem intendit vel spirituosa ingerit. Non raro membrana vomicam includens est densior, et tunc aeger vomicam suam gerit per plures etiam annos, vomicisque paucis et minoribus praesentibus stadium hoc phthisis apostematicae latentis saepe diu durat, quin suspicionem excitet. Dum vomica est major, vel plures efformatae sunt, tunc inspiratio profun-

dior est impedita, decubitus tantum in latus illud est concessus, ubi vomica haeret; ad percussionem in regione vomicae sonus obtusus, et per stethoscopum nullus strepitus respiratorius percipitur. Accidit non raro, ut aeger tali vomica instructus extinguitur ex alio morbo, quin phthisis evoluta fuerit, saepius tamen evenit, ut vomica tandem rumpatur exitu diverso; subinde pus copiosum e vomica magna effusum in bronchia suffocationem inducit; saepius pus effunditur per bronchia in tracheam, et tussi evacuatur colore et odore distinctum, et tunc vocatur phthisis ulcerosa. Ipsa sodes ulceris seu vomicae apertae potest magna cum probabilitate definiri; aeger saepe indicat locum, e quo tussis exoritur, et si pectus aegri obtegitur panno madefacto vel argilla molli madida, vel pasta, tali e farina confecta, et relinquatur aliquo tempore, tunc, docente jam Hippocrate, in parte ubi vomica haeret aperita exsiccatio contingit citissime, quia exulceratio cum processu inflammatorio et cum caloris animalis majori evolutione connexa est. Si vomica fuerit parva, constitutio aegri bona, tunc subinde pure omni evacuato subsequitur cicatrix, et aeger convalescit, vel ulcus remanet chronicum, tantum ad partem pulmonis minorem restrictum, pus secretum tussi evacuatur, et aeger cum tali ulcere fonticulo simili per viginti usque triginta annos vitam protrahit; quod observamus, si vomica talis jam actate provectione post trigesimum annum efformata est. Longe frequentius ulcus e vomica rupta generatum semper latius extenditur, consuetudo ejus impeditur per motum continuum pulmonum, per aeris accessum, per sanguinem circulantem, ideo pus degenerat in ichorem, febris hecticae phaenomena augentur; tunc morbus in aegris tenerioribus, habitu phthisico praeditis eelerrime decurrit, et stadium colliquationis morte terminandum adducit; dicitur tunc phthisis pulmonalis acuta. Dum vomica in superficie pulmonum efformata est, tunc pus effunditur in cavum pectoris et nascitur empyema, quod in casibus rarissimis aperitur exteriora versus, et pure omni evacuato subsequitur sanitas. In cu-

randa hac specie phthisis observamus principia therapeutica, quae contra peripneumoniam et pleuro-peripneumoniam ratio ac experientia suadent.

§. 140.

Phthisis pulmonalis tuberculosa character specificus detegitur in cadaveribus, consistitque in tuberculis in diversa parte pulmonis jam unius, jant utriusque, saepius dextri, sed non raro etiam sinistri observatis, quae frequenter occupant lobum tantum superiorem, sed non raro disseminata vidinlus per omnem substantiam pulmonum, suntque saepe minima, ad magnitudinem milii, vel seminum piperis, et tunc vocatur a Bayle *phthisis granulosa*. Tubercula haec parva increcent ad magnitudinem pisi, imo subinde etiam majorem; tubercula nempe plura parva invicente junguntur, et tunc in cadavere detegimus ad magnitudinem nucis avellanae, subinde juglandis. Figuram habent diversam, subinde sphacericam, vel ovalem oblongam, saepe irregularem polygonam. In tuberculo majori potest fabrica et textura ejus examinari; externum involucrum est membranaceum, diversae crassitiei, in quo subinde etiam vasa sanguifera conspici et injici possunt; hoc involucrum recondit materiam tuberculosam, massam albo-flavam duriorem, ut plurimum caseo similem; subinde durities est major cartilaginea; saepe in cadavere massa tuberculosa diversam consistentiam habet, in medio est liquida puri similis, in peripheria durior; saepe tota massa est emollita, in pus conversa; saepe tuberculum est pro parte evaequatum, et pro parte adhuc tenet materiam tuberculosam duriorem vel liquefactam; non raro totum tuberculum est vacuum. Praeter tubercula haec reperiuntur in pulmone tali infirmo etiam aliae substantiae morbose productae, subinde calculi, frequentius phosphates, subinde oxalates, in easu rarissimo et urates calcis, quemadmodum in easu uno in schola clinica obseruatum fuit. Subinde reperitur substantia nigra, sanguini coagulato similis, sub-

stantia melanosa, subinde vermes parvi, cysticercus cellulosae, subinde carcinonta, ubi pars pulmonis minor vel major degenerat in substantiam albo-flavicanter, aliquantum substantiae cerebri similem; ideo distinguuntur ut species phthisis pulmonalis calculosa, melanosa, verminosa et carcinomatica; quae tamen differentias omnes rariores et tantum accidentales sunt.

R. T. H. Laënnec, *Traité de l' auscultation médiate et des maladies des poumons et du cœur.* Paris. 1817, 1820, 1831.
Hofacker et Wirth, *Diss. de phthiseos pulmonalis specie unica, nempe tuberculosa.* Tübinge. 1823.

Freudenberg, *Diss. de tuberculorum in hepate et pulmonibus causis atque cura.* Bonn. 1824.

P. C. A. Louis, *Recherches anatomico-pathologiques sur la phthisis.* Paris. 1825.

§. 141.

Mutationes morbosae pulmonum in cadaveribus ubique locorum toties demonstratae sunt, postquam in aegro vita durante symptomata phthisis pulmonalis praegressa fuerunt, ut nulli dubio subjici possit, symptomata illa phthisis pulmonalis a diverso statu tuberculorum dependere, quem in aegro etiam per attentionem in eum directam cum probabilitate magna cognoscere valemus. Prout tuberula in statu diverso constituta sunt, ita diversa producuntur symptomata, e quibus stadia morbi plura distingui possunt.

Stadium primum est incubationis, seu opportunitatis, seu latentium tuberculorum, ubi tuberula minima, vel saltem diathesis tuberculosa jam in pulmonibus adsunt, sed nullis se manifestant symptomatibus. Concludimus ad hanc diathesim tuberculosam ex habitu phthisico, fabrica nempe totius corporis graciliore, teneriore, statura in genere altiore, collo longo, pectore angusto, compresso, scapulis alarum instar prominentibus, dentibus candidis, genis rubicundis, quo habitu praesente facile locum habet dyspnoea, imprimit post motum corporis majorem, vocem intensiorem, spirituosorum usum, animi affectus; facile evolvuntur tusses, catarrhi, peripneumoniae,

pneumonorrhagiae, quae difficilius sanantur, et facile iterum revertuntur. Potentibus nocentibus sollicito evitatis homo hac diathesi etiam instructus sanitatem suam conservare potest, dum quin in morbum incidat. Sed diathesi in eminenti gradu praesente citius vel tardius comparet.

Stadium morbi secundum, nempe inflammatorium, sub quo pars minor jam major pulmonum diathesi tuberculosa instructa, et saepe jam tuberculis praesentibus corripitur inflammatione, subinde acuta (phthisis florida), saepius chronica; inchoatque stadium hoc morbi saepe tantum forma catarri bronchialis; aeger affligitur tussi vehementi, initio sicca, dein sputis tenuibus serosis, tardius spissis-mucosis, copiosissimis juncta, qui catarrhus remedii consuetis anti-catarrhalibus non cedit, remittit subinde, sed iterum revertitur intensior. Saepe incipit hoc stadium cum pneumonorrhagia, tussi nempe cruenta, quae ideo vocatur haemoptysis, quia silentie haemorrhagia comparent symptomata phthisis. Non raro inchoat hoc stadium cum peripneumonia manifesta, cuius resolutio perfecta locum non habuit. Post morbos hos praegressos remanet dyspnoea continua, respiratio brevis, molestia cum dolore in parte aliqua pectoris fixo jani intensiore, jam iterum mitiore; frequentissime dolor hic accusatur in una vel utraque regione claviculari, sed partim, quod tubercula in pluribus partibus inflammatione lenta corripiuntur, partim ob consensum nervorum ope experitur aeger dolores vagos jam in regione sternali, jam scapulari, jani costali laterali, et facile pro rheumatismo declaratur, nisi symptomatum omnium successive evolutorum ratio justa habeatur; dyspnoeae et dolori adjungitur tussis, in primis horis matutinis ac vespertinis molesta, saepe violenta et sicca, cum sputis mucosis, non raro etiam sanguine mixtis; adjungitur etiam febris, saepe tantum mitior, tardius intensior cum exacerbatione vespertina; aeger percipit dedolationem, lassitudinem, horripilationem, calorem siccum, pulsum frequentem, tussi tunc semper molestiore redditam. Sub his symptomatibus saepe organa digestionis et chylificationis

in suis functionibus vix turbantur; aeger habet appetitum bonum, imo subinde auctum, eo non obstante corpus emaciatur. Durat hoc stadium inflammationis in phthisi florida per unam alteram-ve septimanam; in chronica per menses, imo subinde annos, sequitur dein

Stadium tertium, seu suppurationis, ubi nempe tubercula inflammati in suppurationem transiverunt, et erupta sunt; tunc symptomata febris hecticae augentur, exacerbatio febris quotidie duplex locum habet, horis nempe meridianis et vespertinis, tussis est continua, ejicunturque sputa purulenta, flavidantia, virescentia, cinerea et foetida; apud aegros nonnullos sputa talia sunt paucissima, et tamen consumptio corporis magna, in pluribus aegris sputa sunt valde copiosa; nec tamen sputum omne, quod ejicitur, purulentum est, e tuberculis suppuratis promanans; sed magna pars sputorum est mucus in bronchiis generatus, quae sub hoc stadio phthisis inflammatione catarrhosa corripiuntur. Non raro sputa sunt cruenta, et quidem subinde sanguis nimia quantitate effunditur, rarius vasa haematopliora per ichorem acrem corroduntur, frequenter tantum secretio morbosa cruenta locum habet. Perdurat hoc stadium in phthisi florida per duas, tres, quatror-ve septimanas, in chronica per menses plures, imo subinde annos.

Stadium quartum est colliquationis, sub quo emaciatio est nimia ita, ut cutis tantum ossibus adhaereat, febris continua cum viriam decremento summo, aeger sudore diffluat, in plurimis diarrhoea colliquativa accedit, qua saepe materia purulenta evacuatur, quia phthisi in majorem gradum erecta etiam glandulae tubi intestinalis corripiuntur inflammatione chronica, et transeunt in suppurationem.

Ex symptomatibus quidem hucusque enumeratis in plurimis casibus phthisim pulmonalem tuberculosam cognoscere valemus, subinde tamen remanet dubium, quod per critica ab Auenbrugger et Laennec proposita dissipatur; quousque tubercula in statu crudo constituta, vel in-

flammata, sed nedium aperta sunt, tunc in parte pectoris tubercula palmonis recondente percussione secundum Auenbrugger vel Pierry instituta producitur sonus obtusus, ubi vero tuberculum jam pro parte vel ex integro evacuatū est, sonus redditur clarior; per stethoscopum Laënnecii quoisque tuberculum in statu crudo constitutum est, nullus percipitur strepitus respiratorius, et quoisque tuberculum integrum est, dum aeger loquitur distinguitur tantum ope stethoscopi vox trachealis; ubi vero tuberculum jam apertum, et plene evacuatū est, percipitur vox e pectore per stethoscopum in aurim observatoris penetrare, et hoc dicitur pectori-loquium; dum tuberculum non ex integro evacuatū, pro parte adhuc pus tenet, tunc percipitur sonus peculiaris tinniens, metallicus dictus; dum tuberculum in saccum pleuras evacuatū, ita ut empyema conexum sit cum tuberculī apertis, et cavum pleurae pro parte pus, pro parte aērem e bronchiis contineat, tunc percipitur vox tremula, similis voci caprarum et vocatur vox caprisans.

§. 142.

Licet per criteriā diagnostica rite adhibita et statū diversum tuberculorum, et extensio[n]em eorū in pulmōnib[us] magna cum probabilitate definire valens, ad cognitiōrem tamen nostram de natura individuāli morbi exactiōrem reddendam conāmūr semper etiam causas ejus erūere. Requiritur ad phthisim pulmonalem tuberculosam dispositio peculiaris, partim à parentibus haereditate propagata in proles, partim in utero matris per influxus vix notos provocata, quae sub incremento corporis ulteriori se manifestat per fabricam organi[n]i teneriorein, phthisicam dictam, dispositioneque hac in gradu eminentiori existente, non raro jam aetate teneriore puerili et quidem saep[er] cum atrophia infantili, peripneumonia, tracheitide acuta, bronchitide, tassi convulsiva, exanthematibus acutis, in primis morbillis, in sanitatem haud terminatis, evolvuntur symptomata phthisis pulmonalis. Frequenter observantus dia-

thesim phthisicam pulmonalem actate infantili et puerili latere, et nonnisi aetate adolescentiae, juvenili vel virili, ab anno nempe aetatis decimo quarto usque trigesimum quintum, morbum evolvi post influxum causarum nocentium diversarum, subinde post violentiam mechanicam pectori illatam, compressionem, concussionem, conculcationem; subinde post adstrictionem majorem organorum respirationis per clamorem, vociferationem, cantum, usum instrumentorum flatilium, subinde post ingesta aeria et spirituosa, post usum venenorum, ut muriatis hydrargyri corrosivi, arsenici, subinde etiam scopo medico exhibitorum; post aërem noxiis qualitatibus praeditum longiori tempore inspiratum; ita aér pulveribus inquinatus nocet, propterea molitores, pistores, lapidum et metallorum polidores frequenter in phthisim ineidunt; simili ratione nocet aér vaporibus aceribus impraeognatus, ut est vapor calcis in aedificio recenter exstructo, nedum satis exsiccato, ut est vapor in fodinis, in fabricis, in quibus partim acida, partim alcalia, partim metalla aeria tractantur. Excitatur subinde morbus per motum corporis excessivum, per animi affectus vehementes, per evacuationes nimias, in primis succi genitalis et lactis, per suppressiones et retentiones evacuationum habitualium, frequentissime per refrigerium, per potum gelidum, balneum, vel ventum frigidum, in primis corpore antea in calore et sudore constituto, ut post saltum, iuctam etc. Non raro dispositio phthisica latens in morbum provocatur manifestum per morbum aliud, per catarrhum, peripneumoniam, bronchitidem, pneumonorrhagiam, per febres intensas tam continuas quam intermitentes, per efflorescentias cutaneas ante terminatum earum decursum evanidas, ut post erysipelas, porriginem, herpetem, eczema, in primis autem post scabiem inveteratam, ut cum fundamento animadvertunt A u t e n r i e t h et H a n n e m a n n , e cuti evanidas. Subinde excitatur phthisis pulmonalis per scrofulas, rhachitidem, rheumatismum, arthritidem, syphilidem, per neuroses; ita subinde etiam ve-

saniae terminantur in phthisim pulmonalem ut plurimum letalem.

§. 143.

Relate ad prognosim pertinet phthisis pulmonalis inter morbos periculosissimos; gloriantur quidem non pauci de curis phthisicorum feliciter peractis, laudantur remedia compluta infallibilia, sed tabulae mortuorum artis ineffectum demonstrant; partem enim mortuorum majorem constitunt ex phthisi pulmonali extinti, et quo urbs aliqua magis populosa est, in eadem proportione major est numerus phthisicorum; sic Londini una quarta pars, Parisii una quinta pars, Viennae una sexta pars mortuorum continent ex phthisi pulmonali defunctos. Non obstante hac mortalitate phthisis tamen curabilis est; sic phthisis nervosâ, catarrhosa non raro per solam autocratiam naturae, saepius per therapiam rationalem sanatur; phthisis apostematiae prognosis est dubia, non raro tamen et ea partim per naturam, partim per artem feliciter curatur; phthisis tuberculosa prognosis est adhuc magis dubia; dantur tamen exempla et hujus morbi feliciter sanati, quod magis naturae quam pharmacorum adhibitorum efficaciae tribuendum est; dum nempe phthisis tuberculosa tantum ad partem minorem pulmonis restricta est, accidit subinde, ut tuberculum inflatum transeat in suppurationem, matutinum rumpatur, pus per bronchia evacuatur, tuberculum maneat vacuum quasi cicatrisatum, reliqua sanitate bona revertente. Laennec et Lonis adferunt exempla plura cadaverum, in quibus pulmones in hoc statu invenerunt, aegris ex aliò morbo demortuis. Saepe tamen tubercula plura per pulmones disseminata sunt, quae cito inflammantur, suppurant, et sub phaenomenis phthisis tuberculosae acutae aegrum brevi enecant, longe frequentius tamen excurrit morbus in longius per menses, subinde annos. Quo aeger junior est, eo celeriorem decursum habet morbus, per irritabilitatem majorem, circulationem sanguinis celeriorem, animi affectus vehementiores alitur, et exaltatur

morbus. Dum phthisis post trigesimum quintum annum aetatis comparet, tunc tubercula non ad semel, sed lente post invicem inflammantur, ac suppurant; ideo morbus tunc per plures etiam annos decurrit. In mulieribus tempore graviditatis symptomata morbi remittunt; vita maxima pro parte interum conversa, processus morbosus in pulmone languidior est, subinde ex toto silet; et solatium excitat de morbo feliciter superato; quod tamen solatium tantum usque partum durat, nam tempore puerperii revertuntur item symptomata, in quo morbo majorē in gradum proiecto celeriter increscent, et brevi stadium colligationis adducunt, quo stadio evoluta phthisis tuberculosa incurabilis est; tunc enim iam pars pulmonum major destruta est, quam destructionem huc usque nulla arte resarcire valens; tunc febris hectica aegrum consumit, symptomatis ita auctis, ut referat febrem nervosam vel putridam, sudor et diarrhoea evadant colliquativi, tussi molesta aeger jam parum ejicere valet ob debilitatem, ulcera non tantum in pulmonibus, sed etiam in tubo intestinali, in trachea ac fauibus enascuntur molestissima, deglutitionem et loquaciam impeditia, vox est vix perceptibilis, capilli deflunt, in multis hydrops accedit. Non obstantibus tantis destructionibus organismi aegri aliqui etiam in ultimo stadio morbi desiderium et spem sanitatis restituendae conservant, dolores omnes animo tranquillo ferunt; de statu suo hano gloriantur, medicum et medicinam laudant, subinde mente exaltati futura praedicant, et dum cibum cum appetitu sumunt, vel dum sellae patroclianaे insident, subito et pacate extinguntur. Nec tamen omnium phthisicorum mox ita pacata est, multi miseri inquietudines, anxietates nimias, metum suffocationis experiuntur, doloribus vexantur, ejulant, auxiliu implorant, desperant, frequentissime per sputa, quae ejicere non valent, suffocati extinguuntur.

§. 144.

Cum observatio triatis docet, phthisim pulmonalem tuberculosam in plurimis casibus morte terminari, ideo maxime curandum est, ut morbi hujus evolutio impediatur per curam prophylacticam. Seminaria morbi sunt congenita, per alterutrum parentem communicata, in utero evoluta; ideo illos, qui phthisi pulmonali tuberculosa laborant, admoneamus, ne matrimonia ineant, ne proles se adhuc miseriores generent; si tamen desiderio invincibili torqueantur in sexum alterum, tunc suademus eis, ut conjugem sanam, non diathesi scrofulosa, phthisica, vel alia quacunque morbosa praeditam seligant; sic enim evenire potest, ut vitium succi genitalis unius corrigatur per virtutem alterius. Quamprimum in infante, vel pueri symptomata observantur diathesis scrofulosae, vel phthisicae, statim cura prophylactica inchoanda est, quae in eo consistit, ut evitentur causae omnes dispositione in scrofulosam exaltare valentes, quae organismum debilitant, et quae congestionem sanguinis majorem in pulmones provocant; ideo educatio prima infantis et pueri tanq[ue] physica quam moralis rite coordinari debet, ut evitentur omnes illae potentiae nocentes, quae scrofulas, rhachitidem aut atrophiam generare possunt; in primis attentio eo dirigenda est, ut infantes alimentum sufficiens et congruum habeant, ne lac matris, vel saltem nutricis sanae eis subtrahatur; aere puro et sicco utantur; motus corporis necessarius nunquam intermittatur, evitando tamen, ne pectoris compressio locum habeat; nec calore nimis foveantur, nec frigori incaute exponantur, ne catarthus vel peripneumonia evolvatur; quamprimum autem morbus aliquis in primis pectoris vel cutis efformatus est, cura ejus congrua habeatur. Aetate adolescentiae ac juvenili candidati phthisis pulmonalis vitae generitali, in quo aut per motum corporis, aut per temperaturae vicissitudinem, aut per corpora, quae tractant, pulmonum status morbosus induci potest, admoveri haud debent; ideo minime commendari possunt opificia, in quibus brachia violenter ad-

stringuntur, vel in quibus labores sedendo, corpore continuo antrorum inclinato perficiuntur, vel in quibus vapores continuo acres inspirantur, vel in quibus vox magis intendi debet. Hac aetate et functionum genitalium justa ratio haberi debet, ut evitentur cuncta, quae stimulum venoris excitare, et succi genitalis evacuationem sollicitare solent; nam per onaniam et per coitus praematueros in sexu utroque phthisis pulmonalis non raro provocatur; in sexu foemineo evitari debent causae, quae fluxum catameniale aut nimium reddere aut suppressare valent, licet amenorrhoea saepius non causa, sed potius effectus sit phthisis evolutae. Causa excitans frequentissima phthisis est refrigerium, ad quod impediendum irritabilitas cutis, major inuminui debet per lotiones cutis frigidas, aestate vero per balnea frigida; ipsa natatio in flumine eximium est remedium prophylacticum ad corpus roborandum, circulationem sanguinis magis aequabilem conservandam, ad congestionem a pulmonibus impediendam, quo scopo motus corporis moderatus semper necessarius est, et exercitia omnia gymnastica sub cautela debita commendari possunt. Ubi tamen cutis tenerior, et dispositio ad phthisim manifesta est, ibi per vestimenta temperaturae externae accommoda refrigerium arceri debet, quem in finem utilissimum est, commendante in primis Cullen, cutim ab autumno usque vernum tempus tectam habere vestitu laneo, flanel dicto, ut per frictionem continuam perspiratio aequabilis sustentetur, et congestio sanguinis in pulmones impediatur. Nonnulli commendant ad praecavendam phthisim pulmonalem in praedispositis diaetam tenuem vegetabilem et lacteam, abstinentiam ab omnibus aliis cibis animalibus, quod tamen observatio non probat; per victimalem tenuem irritabilitas cum debilitate magis increscit, et sic dispositio in phthisim ipsam exaltatur; secundum observationes a Beddoes collectas, qui cibis animalibus vescuntur, qui exhalationes et vapores animales quam copiosissimos inspirant, ut laniones, piscatores, smegmatores, chordarum confectores, cerdones, rarissime incident in

phthisim; et *Salvadori* testatur, cibum animalem pertinere ad remedia prophylactica efficacissima contra phthisim pulmonalem.

§. 145.

Cura prophylactica nulla, vel haud sufficienti adhibita, post influxum potentiarum nocentium phthisis pulmonalis tuberculosa comparet, et tunc pro diverso stadio morbi, pro diversa ejus complicatione, pro diversitate causarum, per quas generatur et sustentatur, pro diversa constitutione individuali aegri therapia naturae individuali morbi accommoda adhiberi debet; remedia plurima, quae contra phthisim pulmonalem laudantur, sunt stimulantia, roborantia, balsamica, quorum usum plurimis in casibus noxiis esse observationes multae, in primis autem tales a *Broussais* institutae docuerunt; ideo methodus anti-phlogistica jam a *Boerhaave*, *van Swieten*, *Frank*, *Richter*, *Stoll*, et pluribus eximiis observatoribus in casibus individualibus commendata, per *Broussais* maxime laudata fuit. Phthisis certo tuberculosa, stadio opportunitatis praegresso semper inchoat cum stadio inflammatorio vel forma catarrhi, vel forma pneumonorrhagiae, vel forma peripneumoniae, et tunc semper methodus anti-phlogistica est maxime rationalis; ideo instituimus venae-sectionem ad uncias tres, quatuor, ad summum sex; vel hirudines, aut cneurbitulas cruentas applicamus, quae sanguinis evacuatio moderata subinde saepius per annum repeti debet; simul vitae regimen observetur strictum anti-phlogisticum; aeger sit in quiete corpore et animo, in primis abstineat a vocis intensione omni, versetur in aere moderate calido, vaporibus noxiis haud inquinato, victu utatur tenui, vegetabili vel lacteo, pro potu adhibeat aquam, vel emulsionem tenuem ex seminibus amygdalarum dulcium, vel cneurbitarum, melonum, cucumerum, vel decoctum hordei, althaeac, salep, quibus addimus jani saccharum, jam oxymel simplex, jam syrupum gratum, subinde nitrum, et cereumrem tartari. Symptomatibus inflammationis nedum re-

mittentibus, quod tussis sicca, dyspnoea, dolor recurrens, febris haud silens indicant, sanguinis evacuatione amplius haud utili, ad resolutionem obtinendam medicina maxime congrua est calomela, dosi parva, granum semis usque gnum pro nycthemero.

Saepe symptomata inflammationis chronicæ perdurant ab sensibilitatem et irritabilitatem morbose exaltatam, ad quam imminuendam, pharmacis emollientibus haud sufficientibus, in usum vocamus narcotica, initio blandiora, ut flores papaveris rhoeados, stipites dulcamarae, extractum lactucae sativae et sylvestris; subinde necessaria sunt narcotica magis efficacia, ut extractum hyoscyami, aconiti, extractum belladonnae vel pulvis radicis belladonnae, saepius extractum cicutæ, vel potius pulvis herbae cicutæ; quae dosi successive aucta a grano uno incipiendo praescrihimus, donec symptomata morbi dissipata, vel ea narcotismi evolvi coeperunt. Saepe ad narcoticorum princeps — opium recurrimus, illudque jam solum, jam combinatum cum ipecacuanha vel calomela commendamus, semper attenti ad effectus in casu singulo individuali productos. Non pauci majorem efficaciam tribuunt digitali purpureæ, cui Beddoes docuit inesse virtutem specificam antiphthisicam, ut possidet cortex cinchonæ contra febrim intermitterentem; remedium quidem efficax esse observationes testantur, sed observationes non pauciores inefficaciam pharmaci hujus probant. Recentissimis temporibus, in primis Magendie, Granville, Brera, Hufeland etc, maxime celebrabant acidum hydrocyanicum, historiaeque plures relatae sunt phthisis pulmonalis sanatae usu pharmaci hujus. Dum phlogosis chronicæ ad partem pulmonis minorum restricta est, tunc hoc pharmacum nou secus ac alia narcotica utilitatem praestat, phthisim tamen late extensem haud sanat, debetque cautissime adhiberi, et cum facile decomponitur, frequentius recens praeparari; nunquam infantibus, tantum adultis praescribimus, guttas quatuor, sex, usque octo pro nycthemero in decocto emolliente althæae vel salep; vel in vicem ejus post Hufeland com-

mendamus aquam laurocerasi, adultis guttas viginti, usque triginta pro nycthemero. Saepe narcotica remedia effectum desideratum haud exserunt, phænomena morbi, tussis, febrisque continuant, quia phlogosis chronicæ sustentatur per statum peculiarem abnormem et vasorum haematóphororum et sanguinis ipsius; tunc utilitatem majorem praestant acida, et quidem saepe blandissima acida vegetalia, ut succus caulinum acetatarum, cucumerum cum fermento panis acetatorum, succus betae ciclae, serum lactis, exhibemusque initio libram semis, successive augemus dosim ad libram unam usque duas. Subinde magis proficia sunt acida mineralia, ut acidum vitrioli dilutum, in primis a Sydenham depraedicatum, acidum salis et nitri a Reich, acidum phosphori a Göden, acidum oxymuriaticum a recentioribus maxime laudatum, praescribimusque ex illis guttas triginta, usque sexaginta, in decocti emollientis libra una pro nycthemero.

Saepe usu remediorum hoc usque laudatorum curam phthisis pulmonalis perficere haud valemus, quia inflammatio chronicæ characterem peculiarem habet ab indole causæ excitantis; ita frequenter excitatur per refrigerium et per morbos alios, ut rheumatismum, arthritidem, scabiem, e cuti evanidos; tunc praeter therapiam characteri dynamico morbi pulmonalis accommodam maxime indicata sunt remedia talia, quae efficaciam peculiarem exserunt in cutim; tale est sulfur, quod in primis Busch, et Habermann contra omnem phthisim pulmonalem commendant; subinde plus praestat hepæ sulfuris, et thermæ sulfureæ, quae et forma potus, et forma balnei topidi adhibentur; in nonnullis easibus extractum aconiti, antimonialia, in primis tartarus emeticus dosi etiam majori, ad granas sex, usque duodocim, in solutione unciarum sex, omni biorio uno coquleari sumendo, votis satisfecit.

Subinde phthisis pulmonalis est tantum symptoma morbi scrofulosi, atque tunc laudantur murias barytae, murias calcis, jodina, quo partim interne exhibito, partim forma balnei exhibito gloriatur Lugol, se plures phthises pul-

monales feliciter sanasse. Chrestien et Wendt virtutem eandem depraedicant de muriate auri et sodae.

Subinde phthisis pulmonalis est symptoma syphilitis, tunc methodus anti-syphilitica, in primis hydrargyrum et decoctum sassaparillae indicata sunt.

Saepe interna remedia sola haud sufficiunt, externa quoque in auxilium vocari debent, et quidem ad inflammationem topicam resolvendam praeter hirudines et cucurbitulas cruentas applicamus saepe pectori unguenta, fomenta, emplastra et cataplasmata emollientia; non raro inunctio sebi, butyri, olei blandi jam levamen adfert; saepe efficaciora sunt necessaria, inunctio linimenti volatilis, unguenti saponati-camphorati; majorem virtutem praestant epispastica, ut sinapismus emplastrum cantharidum, cortex mezerei, emplastrum vel unguentum antimoniale, fonticuli, moxa et ferrum candens.

Per remedia hucusque enumerata in casibus individuilibus phthisis pulmonalis non raro sanata fuit; scopus tamen salutaris haud obtinebitur, nisi vitae regimen congruum observatum fuerit, quod solum diu observatum non raro phthises pharmatis rebelles feliciter sanat. Ad hoc ^{ut} vita regime pertinet quies corporis et animi; aeger quidem non debet continuo jacere sub stadio inflammatorio chronico, sed motu corporis omni violento vitato tantum motus moderatos suscipiat, in primis ab omni adstrictione organorum respirationis abstineat, conatum peculiarem adhibeat ad animum tranquillum observandum, removendo cuncta, quae animi affectum excitare possunt; versetur semper in aere moderate calido, ut perspiratio cutis semper moderata et aquabilis sit; observationes docent in regionibus tropicis, in India orientali, phthisim pulmonalem esse morbum ignotum; propterea Angli multi candidati phthisis pulmonalis omni anno proficiuntur in Indiam orientalem; qui horrent iter longum maritimum, se recipiunt ad insulam Maderam, Italianam et Galliam meridiqnaem, et non pauci per solam moram in regionibus iis calidis, aliquot annis continuatae, sanantur. Necesse tamen

haud est, ut aegros nostros ad itinera ita longa mittamus, aestas apud nos est satis calida, et phthisicis proficia, hyeme autem calor necessarius procurari potest; tantum aegros informamus, ne refrigerium admittant, quod etiam aestate horis matutinis et vespertinis facile contingit, ideo phthisici tali tempore in cubilibus maneant, vere et autumno tantum horis meridianis tempore sereno motum moderatum in aere libero susciant, cutim vestitu laneo obiectam habeant; hyeme vero tota vitam in cubili moderate calido transigant. Non sufficit temperatura sola calida, debet aer simul esse blandus, non valde stimulans; observatio docet, aerem valde siccum, ventis exagitatum, qualis in cacuminibus montium esse solet, sub stadio inflammatorio phthisis pulmonalis valde nocere, aerem in planicie, per vapores aquae blandiorem magis convenire; ita aer, qui secus favet febribus intermittentibus producendis, aegris in stadio inflammatorio phthisis constitutis, est valde proficuus, quali aere Hungaria in planicie, exundationibus exposita abundat. Cum influxus aeris suminus sit in conditionem pulmonum, ideo experimenta instituta sunt cum aeribus factitiis in primis a Beddoes, quae tamen votis minus responderunt. Maximam laudem sibi meruit aer stabulorum, in primis vaccarum, cuius inspiratio jam ab antiquis commendata, et per observatores recentiores comprobata est.

T. Beddoes, *Observations on the medical and domestic management of the consumption.* London. 1801.

— Über die neuesten Methoden, die Schwindsucht zu heilen, mit einer Abhandlung von Kühn. Leipzig. 1803.

J. Clark, *Influence of climate in chronic diseases of the chest, digestive organs etc. with an account of the places, resorted to by invalids in England, the south of Europe etc. their merits in particular diseases and directions, while travelling and residing abroad.* London. 1830.

— Einfluss des Climas auf Verhinderung und Heilung chronischer Krankheiten. Weimar. 1831.

§. 146.

Nec stadio suppurationis inchoante cura phthisis pulmonalis impossibilis est, sed etiam tunc therapia summa cum cautela coordinari debet; stimulantia et roborantia etiam tunc in plurimis casibus nocent; nam pure licet jam aliquantum praesente in tuberculo vel vomica processus adhuc inflammatorius continuat; ideo indicationem curae facimus ad inflammationem illam moderandam, ut sic suppurationis etiam limitetur; quem in finem saepe plurimum praestat vitae regimen congruum, aer moderate calidus et blandus, diaeta minime irritans, tantum blande nutritiens; in omni phthisi etiam stadio suppurationis jam praesente maximam laudem sibi meruit diaeta lactea, et quidem principem locum tenet lac humanum, sequitur asininum, dein caprinum et vaccinum, exemplaque adferuntur ab observatoribus numerosa phthisium jam alte proiectarum per solius lactis recenter mulsi, vel per seri lactis potum longiori tempore continuatum sanatarum. Exaltatur virtus lactis per acidulas blandas alkalinas, inter quas maximum efficaciam exerunt acidulae Selteranae, quibus virtutem analogam habent in Bohemia Bilinenses et Egeranae salsa, in Silesia Salzbrunnenses, in Styria Johannesbrunnenses, in Hungaria Szalatnyenses, subinde Runkenses, Paradienses et Füredienses; saepe utiles sunt etiam aquae thermarum particulis salinis et acido hydrothionico, impregnatae; ita in Germania ad Emis, Baaden, apud nos aquae calidæ Budenses vel solae vel cum lacte haustæ nonnullis profuerunt.

Praeter victum congruum alia quoque remedia necessaria sunt; subinde per influxum potentiarum nocentium excitatur inflammatio topica intensior, tunc non obstante debilitate aegri, ut vitam ejus protrahamus, sanguinis evacuationem topicam moderatam suscipimus, praescribimusque emollientia, ut seminum hordei mundatorum, mellis despumati ana unciam unam, coquatur in aquae libris duabus ad remanentiam librae unius, sumaturque omni böhorio medio vasculo coffeaceo; vel eidem substituimus decoctum

althaeæ, aut salep. Saepè ad phlegosim resolvendam utilia sunt acida, initio vegetabilia, deinde mineralia; sensibilitate nervorum vitae organicae exaltata præsente, indicata sunt narcotica. Si forte inflammatio suppurationem sustentans modificationem specificam habet ab indole causæ excitantis, tunc etiam in therapia hujus ratio habenda est; ita scrofulis ad morbum cœurrentibus laudantur inprimis terra ponderosa salita, cicta et iodina; syphilide ad morbum concorrente laudantur mercurialia; infarctibus abdominalibus morbum sustentantibus solventia mitiora, et acidulae alcalinae commendantur; morbo metastatico inducto per refrigerium, rheumatismum, arthritidem, efflorescentias cutis, ut scabiem evanidos, maxime indicata sunt sulfur et antagonistica epispastica, cutim irritantia, unguentum, emplastrum antimoniale et moxa.

Postquam symptomata inflammationis omnia silent, illa vero suppurationis continuant, tunc indicatio curae est, ut pus evacuetur, ne diutius retentum in ichorem degeneret. Pus in sacco pleurae contentum, subinde per paracentesim pectoris evacuari potest, quæ operatio locum non habet, dum vomica in substantia pulmonis haeret; commendantur tunc ad vomicam rumpendam motus corporis vehementior, vectio per viam asperam, in primis autem emeticum, quæ consilia tamen periculosa haud sequimur; nam si vomica major subito rupta fuerit, pus tanta quantitate effunditur, ut aeger suffocetur; ideo aperturam vomicae naturae committimus, tantum energiam vitae conamus in activitate debita sustentare; ideo recurrimus ad methodum blande rorborantem, atque sub hoc stadio suppurationis convenit aegro aër magis purus, siccus, habitatio in hortis, in Hungaria mensibus aestivis proficiens est aër exhalationibus aromaticis imprægnatus in vicinia montium Carpathicorum, in primis ad Matram, in Austria superiori ad Ischl, in Bavaria ad Kreuth; victum commendamus blande nutrientem, praeter lac etiam carnes teneras, praeter aquam bonam etiam cerevisiam vel vinum bonum, semper animadvertendo in effectus, ne irritatio justo major inflammationem provocet.

Hac periodo morbi etiam remedia diversa roborantia, quae passim contra phthises laudantur, indicata sunt, initio mitiora amara et blande aromatica, ut herba millefolii, cardui benedicti, tussilaginis farfarae, hederae terrestris, pulmonariae, melissae, hyssopi, salviae; in Hungaria in primis celebratur herba marrubii albi, cuius et succus recens, et decoctum, et extractum, et electuarium e pulvere siecco cum melle paratum, non raro profuit. In provincia Bihariensi maxime laudatur cytisus helianthemum, in Germania galeopsis grandiflora, quae partem principalem constituit specierum anti-hecticarum Lieberii. Saepe utilitatem majorem observamus a lichene islandico, cuius decoctum vel solum vel cum laete, vel gelatina ejusdem per diem quater non cochleari coiffeaceo cum juscule vel lacte sumitur. Subinde profuerunt: herba urticae minoris, radix cochleariae armoraciae rasa melle mixta, semina et herba foeniculi, semina anisi, semina phellandrii aquatici. Subinde effectum salutarem praestiterunt gummi-ammoniacum, olibani, myrrae, terebinthina, balsamum peruvianum, balsamum Carpathicum, cortex cinchonae, cuius decoctum vel solum vel cum lacte vel cum lichene islandico combinatum, saepius praeparata ejus, ut sulfatem, muriatem vel phosphatet chinini cum calomela, digitali purpurea vel cicuta, junctos adhibemus. Ita ferram quoque ut medicina roborans, vegetationem normalem sustentans subinde salutare fuit; remedium a Griffith multum celebratum continet in se vitriolum martis et myrrham. In hoc easu utiliter adhibentur etiam acidulae martiales. Subinde profuit murias auri et sodae cum cicuta et lacte asinino; laudatur etiam auripigmentum; quod nos nec adhibuimus, nec commendamus.

Sub hoc stadio morbi effectum salutarem exserunt etiam remedia in organa respirationis forma fumi et vaporis derivata; solus vapor aquae calidae subinde jam prodest, magis vapor thermarum sulfurearum, subinde vapor herbarum aromaticarum, vapor picis, quem recentissime Crichton

maxime commendavit; in casibus individualibus profuerunt etiam vapores chlorinae et jodinae.

A. Crichton, Practical observations on the treatment and cure of several varieties of pulmonary consumption, and on the effects of the vapour of boiling tar in that disease. London. 1823.

A. G. Gruber, Betrachtungen über das Wesen und die Behandlung der Lungenschwindsucht. St. Petersburg. 1829.

J. Murray, a treatise on pulmonary consumption, its prevention and remedy. London. 1830.

§. 147.

Pharmaca prius laudata licet ab observatoribus multis commendata utilitatem praestant in primis in phthisi pulmonali mucosa, vel nervosa simplici, et in tuberculosa ad parvam tantum partem pulmonis restricta; quotiescumque dispositione phthisica praesente phthisis tuberculosa latius extensa est, tunc therapia omnis tantum levamen morimentaneum adfert; morbi evolutio ulterior continuat, et stadium colligationis addueitur, quo praesente cura quidem radicalis impossibilis est, aegrum tamen nunquam deserimus, sed vitam ejus tolerabilem reddere conamus symptoma molesta mitigando; talia sunt:

1mo. Sensus debilitatis, aegris maxime molestus, propterea roboran tem expetunt medicinam, sed pharmaca stimulantia, roboran potius sensum debilitatis augent, blande nutrientia, ut juscula gelatinosa e limacibus contusis, quibus addimus jam sago, jam farinam maranthae, magis utilia sunt; vel commendamus ciocoladum e salep, lichenem islandico, vel osmazon confectam; pharmaca roboran anxi desiderata tantum dosi parva praescribimus, infusum corticis cinchonae frigidum, vel decoctum ejus tenuem, vel praeparatum alcaloideum.

2do tussis negro et interdiu molesta, et noctu somnum anxi desideratum turbans mitigatur saepe per narcotica; nullum quidem eorum semper votis respondet; plurimis so-

tamen adfert opium, quod tussim mitigat, somnum tranquillum procurat, et non raro animum exhilarat; exhibemusque illud tantum vesperi, initio unam quartam partem grani, dein granum semis usque granum unum, raro dosim maiorem praescribimus, partim quod temulentiam, et alvum obstipam producit, partim quod sudorem longum provocat; ideo cogimur saepe dosim opii imminuere, vel pharmaceum hoc ex integro subtrahere. Subinde efficacia major est acetatis morphii, ejus jam dosis minor agit in organismum; rarissime tamen hoc præparato utimur, quia et dosis ejus minor facile narcotismum majorem inducit. Hufeland maxime commendat extractum opii aquosum ad granum semis, usque unum, vesperi potrigendum; est certe præparatum opii blandissimum, sed saepe inefficax. Propter effectus opii noxios observatos recurrimus saepe ad alia narcotica, quae tussim magis mitigant; ut est extractum lactucae sativae et sylvestris, quod a grano uno, successive usque ad scrupulum unum, drachmam semis per nycthemero post Duncan exhiberi potest; saepe tamen majorem virtutem exserunt extractum hyoscyami, cicutae, aconiti, belladonnae, digitalis purpurea, acidum hydrocyanicum vel aqua laurocerasi, quod pharmacum ultimum secundum observationes etiam hic factas subinde levamen majus adfert quam opium, sed caute exhiberi debet, dosis enim ejus major inducit statum paralyticum, ideo in cuti comparent ecchymomata; quamprimum signa minima paralysie observata fuerint, ab usu remedii ulteriori abstinentiam est.

3tio. Profluvia, ut vomitus, tussis cruenta, sudor et diarrhoea inducuntur partim per debilitatem increscentem, partim per vitia organica in pulmonibus aucta, et in ventriculum ac tubum intestinalem extensa, in quibus saepe detegimus tubercula inflammata et exulcerata; propterea evacuationes hae saepe nexae sunt cum doloribus intensis; propterea contra eas maximum levamen obtinemus ab usu remediorum emollientiam, ut decocti althaeae, radicis salep, panis bis cocti, vel farinae maranthæ, subinde

a lacte recenter mulso. Contra sudorem colliquativum phthisicorum multum laudatum fuit a Swieten infusum herbae salviae, raro proficuum, imo testante Quarini saepe noxiun; saepius contra sudorem et pneumonorrhagiam profuit liquor acidus Halleri in decocto emolliente; subinde levamen adfert dosi refracta ipecacuanha vel digitalis purpurea; magis adhuc laudatur contra sudorem, haemorrhagiam et diarrhoeam phthisicorum saccharum saturni, referunturque historiae phthisis pulmonalis in stadio colliquativo constitutae hujus pharmaci ope sanatae, exhibeturque a grano semis usque grana quatuor pro nycthemero cum opio in decocto emollienti vel decocto lichenis islandici, vel decocto corticis chinae tenui; nunquam tamen phar-maco hoc utimur, nisi aegrum quotidie observare valemus. Contra diarrhoeam colliquativam adstringentia passim commendata, ut alumen, cortex simarubae, cascariellae, radix columbo, arnicae rarissime scopo respondent; plurimum prosunt emollientia cum opio, subinde ipecacuanha vel digitalis purpurea dosi parva, et elysmata emollientia e decocto furfurum vel althaeae vel malvae vel amylium solutum cum vitello ovi et tinctura opii ad guttas quatuor usque decem.

4to. Symptoma nimis molestum morbi constituit deglutitio difficilis dolorifica, quae inducitur per aphthas et ulceræ stadio ultimo morbi in faucibus evoluta; ut levamen adferamus commendamus emollientia, lac tepidum, emulsionem oleoso-gummosam, mel dulce, syrump mororum, syrump papaveris albi, externe ad collum cataplasma emollientia, subinde epispastica parva. Ulcera talia non tantum in membrana mucosa fauci, tubi alimentaris, tracheæ et bronchiorum, sed etiam in cuti externa, in primis in parte cui aeger incumbit, exorinntur, late extenduntur, et doloribus excruciant aegrum. Ideo conamur decubitus tales praecavere, observando munditiem summam, linteamina mollia rite expandendo, ne aspera, rugis instructa pressione majori cutim laedant; et quam primum signa decubitus observantur, cutim abluimus spiritu vini,

vel spiritu aromatico, vel spiritu camphorato, vel aqua calcis, vel solutione sacchari saturni, vel solutione chloratis calcis. Ita conamur, per remedia statui individuali accomodata zelo humano statum aegri desperatum allevare, et mortem, quam impedire haud valens, saltem minus dolorificam reddere.

PHTHISIS LARYNGEA ET TRACHEALIS.

§. 148.

Phtisis laryngea et trachealis observatur saepe in connubio phthisis pulmonalis, quae ad gradum ultimum erecta in membrana mucosa tracheam, laryngem et cavum oris investiente excitat ulcuscula cum omnibus symptomatibus phthisis laryngeae et trachealis. Non raro tamen est morbus protopathicus et quidem ita, ut saepe ab exordio usque ad finem sit tantum ad laryngem, saepe tantum ad tracheam restrictus, saepe tamen morbus unus cum alio necitur, imo et in bronchia extenditur.

In decursu ejus observantur stadia tria, nempe inflammationis, suppurationis et colliquationis, characteribus jam magis jam minus distinctis ab invicem separata, et jam breviori jam longiori tempore durantia.

Stadium primum est inflammatorium, quod in morbo acuto per symptomata laryngitidis ac tracheitidis facile cognoscitur, sed in morbo chronicō saepe mitioribus tantum symptomatibus stipato facile observationi subtrahitur, cuius tamen stadii cognitio summi momenti est; ideo attente colligi debent omnia symptomata. Nisi phlogosis intensior fuerit, febris sub hoc stadio nulla, vel saltem exigua locum habet; prima mutatio observatur in voce, quae evadit rauca, et quidem dum morbus sedem habet in larynge, raucedo statim est magna et continua; dum au-

tem morbus residet in trachea, raucedo est minor, per vi-
ces recurrens, eodem tenore diutissime permanens, in phthisi
autem laryngea raucedo semper increscit, estque mane
maxima; morbo ulterius increscente vox evadit semper de-
bilius, tandem aphoniam locum habet. Praeter vocis mutati-
onem percipit aeger titillationem ad tussim, et quidem in
phthisi laryngea in larynge, in phthisi tracheali in trachea.
Titillatio ea successive transit in dolorem, et quidem in
phthisi laryngea dolor fixus non laryngem totam, sed tan-
tum partem ejus unam occupat, estque relate ad sensum
aegri jam urens jam scindens jam pungens; in phthisi
tracheali dolor sentitur in trachea, frequentissime in parte
ejus inferiori, ubi bifurcatur, infra manubrium sterni, est-
que dolor secundum sensum aegri premens, ab iatus ex-
trorsum versus tendens. Dolor laryngem occupans augetur
ad vocem intensiorem, loquela diutius continuatam, ad
motum corporis majorem, in primis ad motum capitis cele-
rem; augetur per inspirationem vaporum, funi, per gar-
garisma acrius, per deglutitionem in primis liquidorum. In
phthisi tracheali dolor est minus intensus, nec a gargarisme,
nec a motu corporis sed a pressione externa auge-
tur. Deglutitio sub exordio morbi est minus impedita; sed
sub morbi incremento, licet nulla detegatur affectio in phar-
rynge et oesophago, tamen evadit molesta, et quidem mul-
to molestia in phthisi laryngea ita, ut aeger non nisi cum
ad strictione magna perficiat deglutitionem, in primis liqui-
di; quia facile guttae aliquae incidunt in laryngem, et tunc
tussis violenta spasmodica excitatur, qua alimenta ac po-
tulenta in cavum oris rejiciuntur. Praeter phaenomena me-
morata statim sub exordio morbi comparet tussis, et qui-
dem initio secca, in phthisi laryngea vehementior, et mor-
bo etiam increscente sputa sunt tantum pauca spumescen-
tia, saliva similia, non raro sanguine tiacta; dein sub
stadio suppurationis redduntur sputa purulenta, foetida,
flavo-cinerea, contingitque ejectio sputorum frequentis-
sime mane. In phthisi tracheali sputa sunt magis copiosa
et magis screatu quam tussi ejiciuntur, longiori tempo-

re sunt tenuia, aquosa, serosa, tardius evadunt glutinosa, in fila ductilia, tandem versus finem morbi fiunt purulenta, non raro sanguine mixta et foetida. Dum morbus intensior evadit, cum sputis subinde ejiciantur etiam frusta pseudo-membranarum, concrementorum polyposorum per ipsum morbum generatorum; subinde ejiciuntur particulae cartilaginum laryngis aut tracheae. Respiratio est plus minus-ve impedita; dum morbus in larynge residet, tunc respiratio in toto pectore est libera, tantum dum post tussim violentam, post motum corporis vehementiorem, post loquela diutius protractam larynx spasmodice constringitur, tunc metus suffocationis exoritur; in phthisi autem tracheali, quia per liquidum morbose secretum bronchia repletur, et irritata spasmodice constringuntur, respiratio anxia, brevis, suffocatoria saepius revertitur, estque respiratio in hac phthisi tracheali tam in trachea, quam in bronchiis strepitosa.

Stadium hoc inflammatorium excurrit per septimanas, menses, imo subinde annos, per vices remittit, iterum intensior evadit, et nisi inflammatio resoluta fuerit, sequitur stadium suppurationis, et quidem subinde pus secretum vomicae inclusum est; tunc praeter febrim hecticam difficultas respirationis magna in larynge vel trachea percipitur cum metu suffocationis; frequentius tamen suppurationis est tantum superficialis, atque tunc in phthisi laryngea debilitas vocis evadit semper major, halitus oris est foetidus, lingua ad radicem est crassior papillis valde prominentibus, et magis rubicunda, isthmus faucium leniter inflammatur, et quia exulceratio frequentissime tantum in una parte laryngis haeret, adnotante Sachse, medietas linguae respondens laryngi exulceratae est muco crasso albo-flavicante obducta, dum alia medietas ruborem normalem retinet. In phthisi tracheali nec linguae conditio ita peculiaris, nec isthmi faucium inflammatio, nec halitus oris ita foetidus observantur. Stadium hocce cum symptomatis febris hecticae mitioribus excurrit per menses, subinde per annos, donec tandem accedat stadium eolliquac-

tionis; sub quo febris hecticae symptomata augentur, corpus emaciatur nimium, sputa ejiciuntur purulenta, foetida, cavum oris obsidetur aphthis summe molestis; accedunt sudor, diarrhoea colliquativa, subinde hydrops, decubitus molestus, desiderio tamen et spe vitam conservandi perdurantibus.

Sauvée, Diss. recherches sur la phthisie laryngée. Paris. 1808.

Cayol, Recherches sur la phthisie trachéale. Paris. 1810.

W. Sachse, Beiträge zur genauen Kenntniß und Unterscheidung der Kehlkopfs- und Luströhrenschwindsuchten, Hannover. 1821.

§. 149.

Ut naturam morbi individualem cognoscere possimus, debemus in singulo casu individuali etiam causas ejus eruere. Observatur quidem morbus in omni aetate et in omni sexu, dispositio tamen in nonnullis major est congenita, haereditate acquisita, quae cognoscitur per cutim teneram, magis sensibilem, per evolutionem facilem erysipelatis, efflorescentiae cutaneae, isthmotidis, tracheitidis et catarrhi laryngo-trachealis; frequentius evolvitur morbus in sexu virili quam foemineo, et quidem aetate virili intra annum aetatis trigesimum et quadragesimum. Causae autem excitantes sunt diversae, subinde violentia externa collo illata, corpora peregrina in laryngem et tracheam illapsa, vapores acres inspiratione in tracheam delati, vocis intensio nimia, subinde evacuatio habitualis suppressa, efflorescentiae cuti evanida; subinde est symptoma alterius morbi, ut scarlatinæ, scrofularum, syphilitis; frequentissime tamen, causa excitans est refrigerium, in primis calente corpore admissum per ventum frigidum, vel per potum gelidum, vel per balneum frigidum.

Morbus evolutus pertinet ad periculosisimos, incipiens quidem, simplex cum cachexiis haud complicatus subiads per autocratiam naturae solius sanatur, sed postquam in larynge et trachea ulcera efformata, et symptomata stadii

colliquationis producta sunt, tunc aegri plurimi succumbunt, reperiunturque in cadavere ulcera laryngis, tracheae, bronchiorum, cartilagines corrodentia, subinde hydatides, polypi et ossificationes.

§. 150.

Per therapiam rationalem non raro morbus feliciter sanatur, quem in finem conamur causas excitantes forte praesentes removere; sic corpora peregrina subinde eliminantur per tussim violentam, subinde delata in bronchia per abscessum in latere pectoris efformatum successu felici evacuata sunt; subinde ars succurrit per laryngotomiam vel tracheotomiam. Si causa morbum sustentans fuerit morbus alter, syphilis vel scrofulae, tunc methodus anti-scrofulosa, vel anti-syphilitica est indicata. Causis excitantibus remotis therapiam instituimus pro diverso stadio et charactere dynamico phthisis; in stadio nempe inflammatorio, quod subinde in longius tempus excurrit, methodus anti-phlogistica est necessaria, subinde venae-sectione, frequentius tamen evacuatio sanguinis topica hirudinum ope, calomela et reliqua remedia, quae contra tracheitidem et phthisim pulmonalem in stadio inflammatorio commendavimus.

In stadio suppurationis conamur, energiam vitae in statu debito conservare, vomicam forte efformatam in matritatem ducere; ideo collo applicamus diligenter cataplasmatum emollientia, in os deducimus vapores emolientes, et quamprimum phaenomena suffocationis observantur, sine mora laryngotomia vel tracheotomia institui debet; pure enim sive post operationem, sive sine illa per rupturam vomicae spontaneam evacuato aeger sumnum levamen persentit; effluxum puris ex ore, caput in situm idoneum collocando sustentamus, et in morbo simplici per solum vitae regimen blandum sanitas iterum restituitur. Sed dum aeger dispositione peculiari phthisica praeditus est, dum morbus per influxum potentiarum nocentium inductus jam diutius durat, tunc etiam suppuratio longior sequitur, et nisi tol-

Iatur, in stadium colliquativum incurabile transit. Laudantur quidem contra phthisim laryngeam et trachealem complura remedia; referuntur historiae morbi ad ultimum gradum evecti sanati per lac halecis etc. Observationes tamen ad lectos aegrorum nos convincunt, nullum dari remedium specificum, therapiamque rationalem institui debere secundum principia therapeutica, quae contra phthisim pulmonalem tuberculosa ex ratione et experientia commendavimus.

